

Beat: Hirnius hanc Stellam non obscure pro signo Filii Hominis vehiteri posse inquit. conf: B: Danhaver. Rodolph: Phenom: 8 m. Quid verò communis, hinc de eo Signo Filii Hominis Statuant Theologi, passim occurrit.

1612.

TYCHONIS BRAHE, DANI DE NOVA ET NVLLIVS ÆVI MEMORIA PRIVS VISA Stella, iam pridem Anno à nato CHRISTO 1572. mense Nouembrj primùm Conspecta,

CONTEMPLATIO MATHEMATICA.

Cui, præter exactam ECLIPSIS LVNARIS, huius Anni, pragmatian, Et elegantem in VRANIAM Elegiam, EPISTOLA quoq; DEDICATORIA accessit: in qua, noua & erudita conscribendi DIARIA METHEOROLOGICA Methodus, vtriusq; Astrologiæ Studiosis, eodem Autore, proponitur: Cuius, ad hunc labentem annum, Exemplar, singulari industria elaboratum conscripsit, quod tamem, multiplicium Schematum exprimendorum, quo totum fermè constat, difficultate, edi, hac vice, temporis angustia non patiebatur.

HAFNIÆ,
IMPRESSIT LAVRENTIVS
Benedictj.
1573.

ANTIQVÆ NOBILITATIS SPLENdore, & multiplicj Eruditione, Iuueni claro, Tychoni Brahe Otthonidj, Domino de Knudſdorp, Amico obſeruando.

DVcere præclarum claris maioribus ortum,
Non eſt præcipuus Nobilitatis honos:
Hoc, aliunde tuis accedit honoribus, altum
Virtutis culmen quiſquis adire paras.
Aſt Mentem radijs Virtutum tingere ſacris,
Eſt proprium veræ Nobilitatis opus.
Macte animo, Tycho, veteris quem ſtemmata Gentis,
Quem ſolers Animus, commoda bina, beant.
BRAHORVM quid enim, & BILDORVM ſanguine claro,
Fert magis antiquum Danica Nobilitas.
His generoſa tui generis primordia ducens,
Ingenij ſuperas Nobilitate Genus:
Diuinæ latices hauſiſti Palladis omnes,
Triuiſti ſtudijs tempus & omne bonis.
Ergo age, quid dubitas doctis committere chartis,
Quæ ſunt Ingenio ſcripta profecta tuo?
Crede mihi, cumulus veniet tibi magnus honorum,
Iudicium quando Poſteritatis eris.
Tunc tua tolletur multum ſuper æthera Virtus,
Vt vicit reliquas, hæc noua STella, faces.

Iohannes Franciſcus Ripenſis, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor.

TYCHO-

TYCHONI BRAHE OTTHONIDI, Domino de Knudſdorp, Iuueni docto, & verè nobili,

Iohannes Pratenſis, Medicus, S. D.

CVM NVPER RELICTIS DOMESTICIS Muſis, & Pyronomicis tuis exercitijs, Hafniæ, apud nos eſses, Tycho nobiliſsime: ac de communibus ſtudijs, vltrò citroq́, qui mos noſter eſt, conferreremus: inter reliqua ingenij tui, quæ domi ſupprimis, monumenta, Diarium labentis huius Annj, ſingulari & erudita à te Methodo conſcriptum, produxiſti, mihiq́ legendum communicaſti. Quod quidem, vt perluſtraui diligentius, ſummopere placuit, & mirificè me recreauit. Quapropter cepi diligenter te ſtatim ad editionem cohortari: vt alijs quoq́ tam vtilis fœcunduſq́ labor inſeruiret. Videbam enim, plurima ibi contineri, quæ, ſi publicarentur, plurimum lucis rebus Aſtronomicis adderent: multa, in Arte, hactenus dubia parumq́ firma, corrigerent: multos deniq́ communium Aſtrologorum receptos ignotoſq́ errores detegerent. Nam, præterquam quòd lectiſsimorum Artificum decreta ſequutus, quæ in ijs difficilia pauciſq́ euoluta ſunt, Exemplis illuſtribus declaras, & tanquam occluſum Silenum, intus conſpiciendo proponas: etiam proprias, in vtraq́ Aſtrologia Obſeruationes, certas illas quidem, & magno, a te, tot inauditorum Organorum fabricatione, tot improbis laboribus, tot vigilatarum noctium tædio redemtas, proponis. Verùm ad editionem te ſuadenti, & tum temporis, & aliquoties etiam poſtea, parum obſecundans fuiſti: cauſas quaſdam adducens, quæ tibj quidem ſatisfacere poterant: mihi verò, tantum abeſt quod ſatisfecerint, vt etiam in propoſito meo plus me confirmarint. Etenim, quod haſce tuas pagellas (tuis enim verbis vtor) non eum in finem, vt orbi ederentur, conſcripſiſse te reſpondes; ſed rudiores eſse tantùm, & extemporaneas, tuarum, ijs de rebus meditationum, delineationes, tibi reſeruandas, neq́ ideo dignas publicè legi: facit id quidem, mi Tycho, modeſtus ille animus; qui, quantò, pulcherrimarum & ſublimium rerum

ſcientia, ſublimiorem ſe fecit : tantò quoq; ſeſe humiliorem gerit. Signum certè, docti, & verè excelſi Animi. Veruntamen, non ita ſemper, nobiſmet, de nobis ipſis, credere debemus : vt, rectis Amicorum iudicijs fidem derogare videamur. Atqui, ne me, Amore tui obcœcatum, minus rectè iudicare exiſtimes : quæſo, tot excellentium doctrina virorum ſententiam ſpecta, quorum & iudicium audiuiſti ſæpius, & precibus es ad editionem ſollicitatus. Quin, nec tibi ſoli conſcripta eſſe illa concedes; ſi, & finem laborum tuorum, & ius, quod ſibi Reſpub. literaria, in tuos, eruditorumq; omnium ſudores, ſibi vendicat, conſideraueris. Quos tu, è Naturæ fontibus, in te, deriuaſti fontes quaſi ſecundarios, eorum, te riuulos, in alios deducere, æquum eſt, ſaluis Dominij Legibus. Opulenta mater, Natura eſt, larga, filios genuinos, hæreditate donans : inexhauſti Abyſſus, è quibus, quò plus hauſeris, & in alios congeneres deriuaueris, hoc te fœcundiore Radio Tingent. Quod verò extemporaneas recenſq; natas delineationes eſſe dicis; noui id quidem, & certò noui : vtpote, qui ſedulam tuam, in alijs quoq; Naturæ Myſterijs euoluendis, tum præcipuè, in Spagyrica Cabala, diligentiam, vnus è paucis cognoſcam. Nihilominus, ſi, quæ extemporanea, maturus effundit Animus, non poſſunt non eſſe matura. Neq; enim prolixius digeſta, felicius quoq; ſemper proueniunt. Diuerſa Prodeuntium ſors : alia, Temporum tardis Reuolutionibus maturantur : alia, eorundem quaſi Legibus exemta, impetus habent & Reſolutiones momentaneas : quæ, ſi fermentantur diutius, nouis ſæpe ac peregrinis implicata Aſcendentibus, in Tranſplantationem minus felicem, degenerant. Quæ cum ita ſint, vir nobiliſſime, non deſiniam, quod verbis antea coràm, idipſum, nunc quoq; abſens, à te, ſcripto efflagitare. Patere itaq; mi Tycho, patere : &, quæ ego ſanctè volo, ea, ne tu nolis velle, etiam atq; etiam rogo. Verùm, quodſi, totum opuſculum, quod in iuſtam excreuit magnitudinem, edi, certas ob cauſas, non permittis : ſaltem hoc contendam, vt, quas Diario addidiſti de noua hac & admirabili ad Caſſiopeiam STELLA (quæ nunc, tot tantoſq; fatigat & Genios & Ingenia) doctiſſimas & verè Mathematicas conſiderationes, in lucem prodire ſinas. Eas enim præcipuè votis à te expectant omnes : &, vt expectent, ſolida rerum Mathematicarum Scientia, qua te excellere inter paucos Artifices ſciunt, adducit. Quoniam, vt inſolita & admirabilis planè, Iubaris iſtius generatio eſt; nec vulgarium Philoſo-

phorum

phorum Decretis consona: ita quoq; non Vulgarem sui Obseruatorem Dimensoremq; postulat. Eius quidem argumentj, aliorum quorundam Schedulas aliunde nobis allatas, videre contigit (quas ad te mitto) sed qua Obseruationum Methodo, quo Demonstrationum robore, rem tantam aggressi, illi viderint. Ne igitur, hac in parte, cupidæ hominum expectationi desis, amicè oro. Ex noua hac face, Ingenij tui accensam facem, errantibus alijs prælucere sinito, & Demonstrationum Luce, Opinantibus Animis, Sacer illabere. Porrò, huic, de noua hac stella Tractatuj, Epistolam tuam in Diarium (si hoc, vt dixi, totum, edi non permiseris) adiungi velim: in qua, doctissimè, totius Diarij artificium Methodumq; illam singularem, explicas. Etenim, hoc mihi persuadeo, ex sola illa Præfatione, plus commodi Astronomiæ studiosis accessurum, quàm ex prolixis multorum Commentarijs. Quoniam, præter ea, quæ nunc dixi, attingis quoq; ibi, præcipua in Astrologicis Capita. Qualia sunt, quæ de Octogonica cœlestium Domorum partitione, à reliquis, etiam cœli, & circulorum diuisione, diuersa, adfers: de horis Zodiaci inæqualibus: de Lunæ Mansionibus (in quibus duobus, bona pars Ægiptiacæ Scientiæ pendet) de secreto illo Directionum Horoscopi lunarium configurationum modo. Quæ quidem Directionum leges, Astrorum, in omnibus Elementis, silentes Periodos, fructuumq; Resolutiones, germinationes, Exaltationes, Anticipationes, Retardationes, & reliquas Temporum Transplantationes metiuntur. Hæ, si rectius Metheorologis cognitæ essent, equidem, certiores haberemus Astrorum effectus: nec instabilitatem Materiæ (quæ tamen, suo illecta sydere, pulchrè illi, statim harmonica est, & sponte sequax) immeritò toties incusaremus: neq; tam crebro, Artificum delinquentium errata, Artis pulchritudinem deformarent. Harum & similium rerum, cum abs te, in Prefatione illa, fundamenta, sparsim inserantur: vellem, tanta vtilitate, Astrologiæ Candidatos non priuarj. Quibus, & hoc, beneficij loco, à te donarj vellem, vt illam, Eclipseos lunaris annj huius labentis, pragmatiam, quam, & ex Alphonsino, & Coperniano calculo, tum propria motuum Obseruatione, ita exstruxistj, vt Paradigmatis absoluti loco esse possit, vnà cum tua in Vraniam Elegia, præcedentibus omnibus quasi coronidem Musicam impositura, superiorum quoq; comitem esse patereris.

Habes nunc, mi Tycho, quodnam petitionis meæ caput sit: quid,

hac à te Epiſtola efflagitem. Quæ, ſi honeſta ſunt: ſi Reipub. Vtilia: ſi ab omnibus bonis, mecum, expetita: debebis vtiq, Amici deſiderio & expectationi ſatisfacere: & quæ Reipub. Aſtronomicæ à te debentur ſtudiorum primitias, lubens offerre. Quod quidem vt facias inprimis, Amicitia noſtra poſcit: Genius admonet: Vrania mandat: Mercurius (ſi renuis) Caducei tibi poſthac vſuram denegat.

Vale, & nobiliſſimum virum Dominum Stenonem Bilde, Auunculum tuum, doctiſſimum illum, in hoc Aquilone, Muſarum, omniumq; liberalium inuentionum Fautorem, meis verbis officioſè ſaluta. Hafniæ 3. Maij. Anno ſalutiferi partus

1573.

IOHAN=

IOHANNI PRATENSI,
DOCTORI MEDICO,
Amico optimo,

TYCHO BRAHE
Otthonides,
S. D.

RECEPI LITERAS TVAS, CLARISSIme Doctor Iohannes, amicorum optime: in quibus, id, quod tu, vnâ cum alijs viris doctis, amicis nostris, toties, Hafniæ coràm postulastj, nunc denuò, scriptis, absens non cessas efflagitare: vt nimirum, Diarium illud Astrologicum & Metheorologicum, à mecirca elapsæ hyemis initia elaboratum, nunc demum typis mandari & publicè edi, amplius non recusem. Multas, vt in tuam descendam sententiam, & eas quidem iustas, nec facilè aspernendas, adducis rationes; verùm, cùm meo me pede metior, id quod sæpius tibi & alijs hæc eadem à me postulantibus respondi, non possum non adhuc respondere: me, non statuere, id scriptum, ea diligentia absolutum, & ad eam maturitatem deductum: vt dignum sit in lucem prodire, ac manibus teri doctorum. Nec enim, eum in finem iste labor à me susceptus est, vt, publicè edi velim; sed saltem, meipsum & domesticos amicos, hac qualicumq; dierũ Astrologica & Metheorologica descriptione, oblectandi gratia. Nam, & Adrianum Imperatorem, sibi quotannis prognostica ex astris conscribere, non erubuisse legimus. At, si in publicum emittere decreuissem, maiorem sanè in eo conficiendo adhibuissem diligentiam: & multa, quæ passim desiderantur, ac silentio, ob festinationem præterita sunt, suis numeris absoluissem: multa, oscitanter & currentj calamo inserta, deliberatius expendissem. Non enim, vt verum fatear, mihi ipsi in omnibus satisfacio: nec facilè erat, tot alijs negotijs, tum præsertim Spagiricis meis exercitijs occupato, quiddam perfectius, magisq; enucleatum, pro ea temporis exigua occasione, in tam difficilj, & à paucis hactenus rectè tractata materia, præstare. Sed his, tu, pro tuo illo, erga nos, singulari & beneuolo affectu, candidè obuias: asserens, scriptum illud, etsi extemporaneum sit, & propter alias occupationes ad perfectam maturitatem non elaboratum: tamen eiusmodi esse, vt non sine fructu ab harum Artium studiosis legi possit: multaq; in eo contineri, quæ

ri, quæ Astronomiæ Candidatis (si ederentur) ingrata non essent futura. Ista potius, beneuolo tuo & sincero animo, quo omnia candidè interpretaris, & propenso, erga nos, nostraq; studia fauori, tribuo; quàm, quod reuerà agnoscam, tale aliquid, à nobis, ea in re præstitum esse. At demus, non sine fructu aliquo, ab Astronomiæ studiosis legi, id qualecumq; est, posse: & nonnulla in eo contineri, quæ ad Artis penitiorem inquisitionem vtiliter admonentur; propterea q; edi non recusarem: quî tamen, quæso, multiplices illæ Figurarum octogonicarum delineationes, in priori, vel Directionum intricatæ denotationes, in altera facie, assignatæ, arte impressoria exprimi facilè poterint? vt nihil dicam de cæteris diuersimodis figuris & carachteribus, quibus tertia facies, luminarium exortus & occasus, coörientesq; & coöccidentes fixas exprimit: aut quarta, reliquorum Planetarum cum Fixis per Horizontem transitum, eorundemq;, tum inter se, tum quò ad fixa sydera, ipsamq; Lunam, varias configurationes, ob oculos ponit. Quî, inquam, omnia illa, in Typographicum laborem facilè cadunt? Sunt enim omnes figuræ de nouo sculpendæ, & carachteres ac numeri, pro varia, quam habent forma & quantitate, variè ordinandi: vt non exiguum temporis interuallum diffiueret, antequam is labor absoluj posset. Adde, quòd hic labens annus, cui Diarium illud adaptauimus, dimidia ferè sui parte iam absolutus est: vt si, nunc, tandem ederetur, omnem gratiam amisisse non immeritò videatur. Has tu, vt opinor, animaduertens difficultates, si non totum Diarium concessero, saltem Epistolam dedicatoriam, qua illud opusculum vtriusq; Astrologiæ cultoribus inscripsi, imprimi postulas. In illa enim asseris totam Diarij rationem explicatam esse, & plurima aliter proponi, quàm hactenus receptæ tulerunt sententiæ. Fateor id quidem: & quæ in ipso Diario aliter à nobis elaborata sunt quàm communiter fieri solet, illa præsertim, in hac Epistola latius declaraui: vsitata verò & vulgaria, aut obiter attigi, aut prorsus silentio præterij. Sed ipsa Diarij descriptio, ita cum hac Epistola couinncta est: vt, si alterum demas, neutrum perfectè intelligi possit. Multa siquidem in Epistola, vel prætermissa, vel breuiter tacta, quæ in ipso Diario sponte sese offerunt: at, econuerso, multa, in hoc assignata, quæ sine Epistolæ declaratione à quouis facile non percipiuntur. Vides nunc, mi Pratensis, quanta me remorentur obstacula, quo minus votis tuis, in publicando Diario, facile assentirj possim.

De

De Stella verò, quæ superiorj anno prope Cassiopeiam fulgere cœpit, quod expetis: vt si totum Diarium publicarj non admiserim, saltem ea, quæ, de hac, à me conscripta sunt, ipsiq; Diario præfixa, in lucem prodire concedam: id enim votis omnium maximopere à me desiderari affirmas. Huic quidem petitionj facilius annuere possem, ni eadem prorsus ratio me retraheret, qua Diarij editionem iam antea excusabam. Ista etenim, quæ de hac stella, superiori Decembri exarauimus, non minus quàm ipsum Diarium, sunt immatura, & festinanti calamo, obiter annotata; vt indigna mihi videantur publicari ac in Eruditorũ manus venire. Neq; enim, eam ob causam à me suscepta sunt, vt publicè edi, & à quibusue legi vellem: sed, cùm hæc stella, in Nouembrj, superioris Annj, mihi solito more sidera lustranti, ex inopinato apparuisset: rej inaudita nouitate impulsus, cœpi eam organis Astronomicis demetirj (quemadmodum in cœterorum & vsitatorum siderum obseruatione, ab ineunte ætate diligentior fuj) partim, vt ea, quæ in hoc sidere per instrumenta deprehenderem, cœteris, à me factis Astrorum obseruationibus, adiungerem; partim, vt nonnulla, quæ ex obseruationibus concludi & demonstrari poterant, chartis mandata, Diario nostro præfigerem. Vtiliter enim, illud, qualicunq; eius Stellæ descriptione, ornari posse iudicaui: cùm ipsa etiam Stellæ apparitio, labentem hunc annum proximè antecesserit. Minimè autem omnium decreui, ea (vt prius testatus sum) in lucem aliquando prodire: aliàs, integrum, per se, absq; Diario, hac de Stella conscripsissem libellum: maioremq;, in eo elaborando, sedulitatem adhibuissem: cum non dubitem, hoc inauditum Stellæ illius miraculum, multorum, per vniuersum orbem Doctorum virorum fatigare ingenia: &, si quæ, hac de re, à quoq; conscripta viderint, auidè arripi, & pro vniuscuiusq; captu variè diiudicari. Veruntamen si id quicquid est de hac noua Stella pagellarum mi Pratensis, tibi eiusmodi esse videatur, vt sine magna reprehensione publicari, ac ab eruditis legi possit; tuo arbitrio, vt imprimatur ac in lucem prodeat, concedo: ne nimium videar tuis petitionibus resistere; & plus, hìc, amicitiæ nostræ detrahere, q̃ fortè in ipso scripto desiderari possit. Vt autem, hac in re, nunc tandem tuæ assentiar petitioni, faciunt, non solùm plurimæ & iustæ, quibus in literis tuis me vrges, adhortationes; sed, vt verum fatear, chartæ illæ, de hac Stella, è Germania, ad nos allatæ, quas mihi, nunc, vnâ inspiciendas

(::) misisti,

misisti, plurimum me eò impulerunt, vt nostras, de eadem, Obseruationes, & iudicium, publicare tibi nunc tandem concedam. Quæ enim hactenus, hac de re, à diuersis, in Germania conscripta accepimus; ea (saluo tamen vniuscuiusq; honore) non satis suis numeris constare arbitror. Nam, vt de cœteris taceam, quod hanc Stellam inter Cometarum species referant, ac 12. saltem, vel, vt quibusdam placet, 15. ad summum, abesse à nobis, terræ semidiametris existiment, plurimum hallucinantur. Nos etenim, Obseruatione diligenti facta, deprehendimus eam, tam vertici q̃ Horizonti proximam, vnam eandemq;, præcisè, à Schedir Cassiopeiæ (cum qua, Stella hæc ferè Meridianum transit) obtinere distantiam: vt in ipso scripto latius videre licet. Vnde, necessariò, nullam habebit aspectus diuersitatem. Ideoq;, non in elementari orbe, infra Lunam (vt illi putant) sed longè suprà, in ipso cœlo, locum obtinere hanc Stellam, Mathematica certitudo postulat. Perfeci autem hanc Obseruationem, magno & exquisito instrumento, peculiari quadam ratione ita fabrefacto, vt Stellarum intercapedines, eius beneficio, longè certius & exactius indagari possint, q̃ vel per Radium Astronomicum, vel aliud quoduis, huic officio, hactenus deputatum organum. Hæc enim omnia, ob varia impedimenta, præsertim anguli exquisitè recti, paratu difficilem, vt aliquamdiu durare possit fabrefactionem, nobis semper suspecta fuêre. Neq; enim ignoro, per altitudinem Stellæ maximam & minimam, data prius Poli altitudine, beneficio Quadrantis, idem præstari posse: facilius tamen, error hoc modo committitur: tùm propter altitudinis polaris exquisitissimam & in ipso Minuto (vt hîc opus est) difficilem, penéq;, ob varia requisita, impossibilem cognitionem: tùm, quia temporis momentum, quo Stella ipsa Meridianum transit, & in minima ac maxima existit altitudine, adeò exquisitè, vt opus est, vix certò dignoscitur. Adde, quod huic obseruationi, Quadrans miræ magnitudinis necessarius erit, qui sua capacitate non solùm singula Minuta: sed etiam Scrupulorum aliquas partes continere possit: qualem ante triennium, prope Augustam Vindelicorum, in horto Pauli Haimzelij, viri Patricij, & eius Reipublicæ Consulis, Mathematicarum rerum amantissimi, extrui curauimus; cuius Semidiameter 14. cubitos exuperat.

Sed quò digredior? hac, inquam, ratione, certò deprehendi, hanc Stellam, longè vltra Sphæram Lunæ à nobis abesse; omniq;, eius locum carere,

carere, visus diuersitate: cùm tamen, si 15 saltem remoueretur terræ semidiametris, vt illi sentiunt, in circulo Verticali, Horizonti vicina, paralaxin 3 Grad. plus $\frac{1}{3}$ induxißet: sin verò 12. saltem (vt alij volunt) eandem, 4 partium cum $\frac{1}{4}$ effecißet. Hæ verò tantæ differentiæ loci illius, à maxima altitudine in minimam, etiam sine instrumento, solis oculis, diligenter consideranti animaduerti poterant. O craßa ingenia. O cœcos cœli spectatores. Ex his insuper manifestum euadit, quàm consideratè & verè, hanc Stellam inter Cometas numerarint: si negetur ijs, in orbe elementari eam existere: cùm, ipsa etiam forma, ab omnibus vlla ætate hactenus visis Cometis, longè differat; & veris ac genuinis Stellis sit quàm simillima. Nam, quòd quidam poßibile existimauit, caudam eius sursum proijci, & solùm illud rotundum caput nobis obiectum esse; tandemq; futurum, vt caudam ad nos conspiciendam reclinet: is, non satis animaduertit ea, quæ à quibusdam veteribus, & nostro quoq; æuo, diligentius à Clariß. Mathematicis Petro Apiano, ac Gemma Frisio, deprehensa sunt: caudam omnium Cometarum, semper directè in oppositam soli partem vergere: adeò quod nonnulli hinc dubitarint, an cauda illa, aliud quiddam sit, nec ne, q̃ refractio quædam radiorum Solarium, corpus Cometæ densiusculum penetrantium. At si aliquis contendat hanc Stellam eße ex peculiaribus illis Cometarum speciebus, cauda destitutis, quas Veteres, Crinitas appellarunt: vbi igitur crines, instar flammei orbis vndiq; æqualiter circumfusi? Si verò inter eas, quæ Rosæ dicuntur, vbi lata & ampla rotunditas, per se quidem fulgens, & ignea, à margine verò raros ac subobscuros diffundens radios? Hæc enim Stella, prorsus his omnibus caret; nullamq; caudam vel in longum, vel in rotundum proijcit. Nisi quis, radios illos, qui ab initio, cùm maior esset, apparebant, barbam vocare velit: eadem sanè ratione & Sirium, Arcturum, Procyonem, Lyram, reliquasq; insigniores Fixas, Cometarum nomine appellabimus: cùm hæ, non minus scintillantes radios vndiquaq; spargant. Quapropter, hanc Stellam longè differre à Cometis iudico; nec similem illi visam à temporibus Hypparchi hactenus existimo: vt vt nonulli Cometarum exigui, & sine caudis interea apparuerint: nisi quis per obseruationes tunc temporis ab Artificibus factas, conuincet, eos, veris & genuinis Stellis simillimos fuißse, & non in elementari orbe, infra Lunam; sed in ipso cœlo, vt nos, in hac Stella demonstrauimus, constitißse. Nec id quidem, quod hæc

ipsa Stella, tam colore, quàm magnitudine alteretur, necessariò eam inter Cometarum species numerandam esse cogit. Imò verò, si successiuè imminuta, tandem (quod Mense Septembri, vel ad summum, Octobri proximo, seruata decrescentiæ proportione, futurum auguror) conspici desinat: minus, miraculi loco ducam, quàm si perpetuam in cœlo cum reliquis sideribus sedem sibi vendicet. Quæ enim post absolutam totius Vniuersitatis in Initio completionem, miraculosè in Natura aliquando existunt; ea, vt etiam ante Vniuersitatis finitam Periodum, esse aliquando desinant, mihi apprime consentaneum videtur. Cùm itaq; nostra, de hoc nouo sidere, sententia, plurimum differat ab ijs, quæ in chartis illis è Germania ad vos allatis continentur, & nos, obseruationes nostras certo Demonstrationum robore fulciamus; nolui harum rerum auidos suo fraudare desiderio, tuisq; & aliorum amicorum petitionibus diutius resistere: sed vt prius concessi; ita & nunc concedo; vt illud quicquid est de hac noua Stella libelli publicetur, ac typis, tuo arbitrio, mandetur. Mitto tibi itaq; totum Diarij opusculum, ex quo partem illam, quæ de hac Stella tractat, excerpere poteris; ac Typographo vestro excudendam tradere. Nihil in ea mutaui, præterq; ea, quæ hactenus in ipsa Stella à prima apparitione, eoq; tempore quo ista scripsi, mutata deprehendi: hæc breuiter in margine annotaui; vt debito, & signato loco, à Typographo cæteris interseri possint. Imò verò, si ne nunc quidem cessas Epistolam in Diarium dedicatoriam vnâ efflagitare, & hanc, aliquid vtilitatis, per se, etiamsi Diario priuetur, Lectori adferre posse existimas, non vsq; adeò renuo, vt ipsa, Tractatui De Stella subiungatur. Eclipsis etiam Lunaris pragmatian, & iudicium de eius effectibus, admitto vt prioribus adiungas; vnaq; extemporaneam illam in Vraniam Elegiam: vt tandem votis tuis in omnibus satisfiet. Sin verò, aliqua in his singulis reperiuntur, quæ non satis suis numeris absoluta sunt, & in reprehensionem ab eruditis, forte, venire possint: tu, non minus quàm ego, culpam mereris, qui immaturos fœtus in lucem prodire cogis. Titulum verò libelli, tuo arbitrio ordinandum relinquo: id saltem expetens, vt nomen autoris, vel supprimas, vel per Anagrammatismon inuertas; modò tibi sic consultum videtur. Eo enim nunc peruersitatis degenerauit iudicium hominum; vt pleriq; ingens dedecus existiment, si quis nobili genere oriundus, aliquid in liberalibus & sublimioribus, Scientijs audeat: præsertim verò in his, quæ præ reliquis

quis Artibus non solùm plebeculæ indoctæ; sed multis aliàs eruditis (excusante vtrosq; ignorantia) exosæ & ridiculæ sunt. Quamuis (vt verum fatear) non multum morer horum insulsum iudicium. Quæ enim per se recta & honesta sunt, non possunt, ob ignari vulgi peruersam opinionem esse non recta & inhonesta.

Optassem autem quædam in his omnibus, quæ edi postulas, nunc tandem emendare, addere, minuere, transponere, & in meliorem formam redigere: sed plurimis nunc obruor negotijs, quo minus id præstare possim. Ab vna enim parte, domesticæ curæ, & alia quædam studia, quæ nunc præ manibus habeo; ab altera, nobilium & amicorum conuersatio, quibus non minimum temporis dispendij debetur, nos ita distrahunt, vt nihil in eo emendare aut restituere nunc vacet:

Et nos, ecce, alius labor haud inglorius vrget:
Sat Cœlo Musisq; datum, sat Vesta tulisti,
Sat natale solum, & dulces rapuistis Amici:
Terra videnda etiam, restat nunc deniq; Terra,
Per varias obeunda vias, variosq; recessus.
Nunc iuuat egregio quæ pulchra geruntur in Orbe
Cernere, & humano quæ passim inuenta labore,
Diuersosq; Hominum latè cognoscere mores.
Hoc iubet ille vigor inuenili in pectore firmus,
Hoc iubet egregias Artes, & multa sciendi,
Multaq; lustrandi nobis innata cupido.
Nec mea me Patria, nec me remorantur Amici.
Omne solum, Forti, Patria; & benè viuit vbiq;:
Omnis terra suos passim largitur Amicos.
Tandem tempus erit gelidam remeare sub Arcton,
Trita exempla sequi, Cyathis, Canibusq;, Caballisq;
Et fastu & luxu (quid enim, si talia desint
Deniq; Nobilitas poterit sensisse beatum)
Perdere cum reliquis reliquos inglorius Annos,
Me nisi, (vt opto) Deus, Fata ad meliora reseruet.

Sed tu, optime Pratensis, id tibi persuasum habeas, me, quæ me cunq; feret tellus, quocunq; sub axe, aspiciam tacito labentia sidera cœlo, semper tui memorem amantemq; permansurum: neq; enim corporum lo-

calis ista separatio, Animorum (qui à locorum miseris angustiis liberrimi sunt) coniunctionem diuellet. Etenim, quæ in Interiore illa & beatiore Natura radices egerunt; vt felicis illius sunt Æternitatis germina: ita quoq; Exterioris huius & Postremæ Reipub. euanidis Legibus nequaquã sunt obnoxia. Et, quãuis corporeis hisce Elementis implicati, Sensibili oculorum radio, Locorum improbitate interpellati, alter alterum Contingere nequeat: non tamen, ita penitus in arctum cogetur augusta illa Interioris Luminis maiestas; quin, quaquauersum, quò Pulchritudo & sacer Amor, illiciunt, libere pemeet; perrenniq; Radiorum Emissione & Reflexione, correspondentem sibi & consimilem Naturam, Tingat. Quinimo, quantumuis dissita nos habebunt terrarum spacia, eundem tamen Solem, Lunam, eademq; sydera (quæ nostra est voluptas) iucundè simul Intuebimur:

Et quia disiunctis, Radios coniungere in vnum
Non licet, & nosmet posse videre simul:
Iungemus radios radijs radiantis Olympi,
Quando micant claro, sydera clara, Polo.
Tunc ego, quam specto, figens mea lumina Cœlo,
Est quoq; luminibus, Stella videnda, tuis.
Sic oculos pariter Cœlum coniunget in vnum;
Nostra licet iungj corpora Terra vetet.

Spero autem me, ante discessum, Hafniæ vobis affuturum: tu verò interea instiga Artifices, vt globus noster æneus optimè inauretur; & exquisitè, prout illis iniunxi, primi mobilis luminariumq; contrarium cursum, quantum quidem fieri potest, æmuletur. Instrumentorum etiam cœterorum, apud suos Artifices, eam, quam illis demandaui, diuisionem & perfectionem vrge; vt omnia illa parata inueniam, vbi Hafniam ad vos venero. Interim tu, clariss. Domine Doctor, sanus vale: imò verò, Medicus cùm sis, tute, fac vt sanus valeas. Saluta Amicos. Datæ Knusdorp die 5. Maj, Anno 1573.

DE

s liberri-
& beati-
germina:
Legibus
is implicati,
, alter alte-
cogetur au-
ersum, quò
enniq; Ra-
consimilem
abebunt ter-
ra (quæ no-

futurum: tu
mè inauretur;
amq; contrari-
trumentorum
mandari, di-
inueniam, vbi
Doctor, sanus
Sanus

DE

DE NOVA ET NVLLIVS ÆVI MEMORIA, A MVNDI EXORDIO PRIVS CONSPECTA STELLA,

quæ in fine Annj ſuperioris omnium primò apparuit.

ANNO PRÆCEDENTE, MENSE Nouembrj, die eiuſdem vndecimo, veſperi poſt Solis occaſum, cùm meo more ſidera cœlo ſereno contemplarer, nouam quandam & inuſitatam, præq; aliis admodum conſpicuam, iuxta capitis verticem, animaduerti fulgere Stellam: cumq; mihi, qui inde ferè à pueritia, omnia cœlj ſidera perfectè (non enim magna huic ſcientiæ ineſt difficultas) cognita haberem, ſatis euidenter conſtaret, nullam in eo cœlj loco vnquam antea extitiſſe, vel minimam, nedum tam conſpicuæ claritatis ſtellam: in tantam rei iſtius admirationem ſum adductus, vt de fide, proprijs oculis adhibenda, dubitare non puduerit. Cùm verò & ab alijs loco monſtrato conſpici poſſe animaduertiſſem, ſtellam reuerà illic apparere, nullum mihi amplius mouebatur dubium. Miraculum ſanè inter omnia, quæ à mundi exordio, in tota rerum natura extiterunt, aut maximum, aut illi certè æquiparandum, quod in Solaris curſus retentione, Iosuæ precibus impetrata: vel eiuſdem obſcuratione, tempore Victimæ cœleſtis facta, contigiſſe ſacra te-

ſtantur oracula. Omnibus enim Philoſophis conſtat, & res ipſa non obſcurè declarat, in ætherea cœleſtis mundi regione, nullam fierj alterationem generationis vel corruptionis: ſed cœlum & quæ in eo continentur ætherea corpora, non augerj, non imminuj, non variari aut numero, aut magnitudine, aut lumine, aut quauis alia ratione: ſed ſemper idem, ſibiq; in omnibus ſimile, nullis terentibus annis permanere. Teſtantur inſuper omnium artificũ, millenis aliquot ab hinc elapſis annis, factæ obſeruationes, ſtellas omnes, eundem numerũ, ſitum, ordinem, motum, & quantitatem, ſemper retinuiſſe, qualem noſtra etiam ætate, ab ijs quos cœleſtium rerum capit delectatio, obſeruatione diligentj facta, ſeruare conſpiciuntur. Nec vnquam ab vllo artifice anteà obſeruatum legimus, nouam aliquam in cœlesti mundo extitiſſe ſtellam, niſi à ſolo Hipparcho, ſi Plinio adhibenda eſt fides. Hipparchum enim aliam à reliquis omnibus prius conſpectis, ſua ætate genitam animaduertiſſe ſtellam, autor eſt Plinius, Naturalis hiſtoriæ libro ſecundo: Cuius verba, cum vt in cœteris, ita & hoc in loco ſint illuſtria & magnifica, non abs re duxi hìc annotanda. Idem (*inquit*) Hipparchus, nunquam ſatis laudatus, vt quo nemo magis approbauerit cognationem cum homine ſiderum, Animaſq; noſtras partem eſſe cœli, nouam Stellam & aliam æuo ſuo genitam depræhendit, eiuſq; motu, qua die fulſit, ad dubitationẽ eſt adductus, anne hoc ſæpius fieret, mouerenturq; & eæ, quas putamus affixas. Idemq; auſus rem etiam Deo improbam, an-

annumerare posteris stellas, ac sidera ad normam expangere, organis excogitatis per quæ singularum loca & magnitudines signaret, vt facilè ex eo discerni posset, non modo an obirent, nascerenturuē, Item an crescerent, minuerenturue. Cœlo in hæreditate cunctis relicto, si quispiam qui rationem eam caperet, inuentus esset. Hæc plinius. *Licet verò illa Plinij verba non obscurè testentur, Hipparchum veram stellam in ætherea regione, suo æuo genitā deprehendisse, & hac occasione reliquarum omnium loca, instrumentis debitis (quod nullus ante ipsum præstitit) signasse, vt posteri scirent an sæpius hoc fierj posset: tamē non dubitauit interpres Plinij Milichius, illa in Cometæ alicuius apparitionē detorquere, rei potius incredibilitate, & omniū Philosophorū refragante iudicio, quàm autoris sententia eò perductus. Quàm enim perperàm, de Cometa, hunc locum Plinij interpretatus sit, nemo refragabitur, qui penitius citata Plinij verba introspexerit. Et quàm quæso absurdū est affirmare Hipparchum, virum in omni scientiarum genere excellentem, præq; aliis in Mathematicis summum artificem, non sciuisse melius inter veras ætherea regionis stellas, & aëris igneum Meteoron, quod Cometam vocant, discernere, quàm vt per hanc occasionem omnium affixorum siderum catalogum & situm, diuino potius quàm humano labore, posteris relinqueret. Vt taceam, quàm ridiculum sit, quod idem Plinij commentator, ex verbis prædictis asserat, Hipparchum per istius Cometæ motum (Cometam enim fuisse hanc stellam opina-*

tur) stellarum fixarum situs, & motum, deprehendisse, cùm omnium Cometarum cursus sit enormis, instabilis, celer, & vagabundus: stellarum verò in octauo orbe affixarum motus regularis, certus, vniformis, adeòq; lentus, vt vnius hominis ætate vix progredi animaduertantur. Hæc non vllo carpendi studio commemoro. Non enim est candidj & ingenui ingenij, aliorũ labores deprauando calumniarj: sed monere saltem volui, ne alij, huius interpretis, viri docti autoritate freti, ad Cometæ alicuius, & non veræ stellæ apparitionem, Plinium detorquerent. Mihi sanè dubium non est, Plinium per hæc verba, significasse, Hipparchum veram stellam & genuinam in cœlo, suis temporibus primùm natam, deprehendisse: Aliàs enim nec ipse quicquam noui, aut admiratione dignum, de tanto viro retulisset, cùm Cometæ crebrius conspiciantur, & à quouis etiam Mathematum imperito animaduertantur. Quæ autem & qualis hæc fuerit, & an rursus euanuerit nec ne, quoniam ex Plinij verbis colligi non potest, in dubio relinquimus. Nec simile quidpiam, vel ante Hipparchi tempora, vel etiam pòst, annis iam elapsis mille septingentis, ab vllo artifice (vt dixi) sæpius obseruatum esse legimus, priusquam hac nostra ætate, illa, de qua nunc sermonem instituimus, conspici cœpit. Quòd verò illa, neq; sit in Elementari & aërea mundi regione apparens igneum aliquod meteoron: sed inter cœlestes orbes locum obtineat, posteà demonstrabimus. Apparet itaq; quàm sit hæc

res

res inusitata, quàm admiranda, quàm deniq; omnibus Philosophis incredibilis, nouam & aliam à prioribus nunc demum in cœlo prodijsse stellam. Nec Theologis, qui aliàs multa in mundano orbe miraculosè contingentia, per diuina mysteria excusare possunt, sufficientes reddere causas eius rej, possibile existimo. Illis enim per Mosis de mundi fabrica historiam, compertum est, Deum autorem Vniuersi, ex quo cœlos & Elementa, cum omnibus suis ornatibus absoluisset, quieuisse ab omni opere, nec vllam postea rerum nouam condidisse speciem. Scio tamen aliquos ex occultiori quadã, & nostro sæculo primùm in lucem producta Philosophia asserturos, possibile esse hanc stellam in veteri Iliado (libet enim eorum vocabulis vti) hactenus latitasse, & nunc demum maturatione sui absoluta, mortalibus conspiciendam prodijsse. Etsi verò nunc non disputem de huius nouæ (vt putatur) Philosophiæ certis vel ambiguis fundamentis: & non ignorem, ex illa, multarum in Natura abstrusarum rerum, & à vulgaribus Philosophis vel incognitarũ, vel minus rectè intellectarum, causas & progressus explicari, posse: tamen mihi verosimile esse, vt hoc miraculum ea ratione sufficienter saluetur, vix persuadebitur. Nam si huiusmodi in cœlo (quod illi quartum & igneum Elementum, non dubitant, suis ducti rationibus, appellare) fierent generationes, cur non sæpius tot elapsis seculis, in tanta cœlj vastitate, animaduersum est noua prodire sidera? Et cur illa quæ hactenus apparu-

erunt nullam inde à mundi exordio, magnitudinis, luminis, coloris, vel ordinis perpeßa ſunt alterationem? Id enim in tanto temporis interuallo, & tanto ſtellarum copia, fieri oportebat, ſi cœlo eiuſmodi competeret generationis & corruptionis neceßitas. Taceant igitur omnes Philoſophi, ſeu veteres, ſeu noui: taceant ipſi quoq; Diuinorum Myſteriorum interpretes Theologi: taceant cœleſtium corporum contemplatores Mathematici, nec de modo generationis huius ſtellæ & tanti miraculi excuſatione, ſe aliquid certi conſtituere poße exiſtiment. Nec eſt quòd aliquis ſibi perſuadeat, hanc ſtellam ſimilem eße illi, quæ Magis Orientalibus, cùm Saluator mundj naſceretur, apparuit. Illa enim non in cœlo inter reliquas ſtellas: ſed in ima aëris regione, non procul à ſuperficie terræ locum obtinebat. Aliás enim nec motu ſuo, iter, Saluatorem quærentibus, nec quiete, domum in quo inueniretur, oſtendißet. Sed cum toto cœlo circumuoluta, nullũ habuißet tam exigui ſpacij in orbe terreno reſpectum: cùm tota terra, cœlo collata, non habeat ſenſibus incurrentem magnitudinem. Adde quòd illa ſtella ſolis Magis ab oriente profectis, vt Dominũ adorarent, illiq; tanquam Regi, Deo, & Hominj, munera, Aurum, Thus, Myrrham offerrent, apparuit: ſiue quod Deus peculiaritèr eorum mentes & oculos illuſtrauerit, vt illj à longinqua & ignota regione venientes, eum agnoſcerent, per quem omnia facta ſunt, humanam induißе naturam, quem proprij Iudæj, inter quos naſcebatur ignorabant:

rabant: ſiue quod hi ſapientes homines, per occultioris & incognitarum rerum indagatricis Magiæ cognitionem, ea viderint & intellexerint, quæ reliquis hominibus, huius ſcientiæ ignaris, occulta erant: vnde etiam non immeritò Magorum appellationem in ſacris literis ſortitj erant. Sed qualis ea fuerit ſtella, quæ illis apparuit, non eſt huius loci ſcrupuloſius indagare, cum ipſis etiam Theologis, ob Magiæ ignorantiam, nihil in hac re certj conſtet. Sufficit enim demonſtraße hanc nouam & inuſitatam ſtellam, quæ nuper apparuit, nullam habere cognationem cum illa, quæ Magis conſpiciebatur: nec poße eius generationis modum ſaluarj, vel à Theologis, vel à Philoſophis, nec ab ipſis etiam Mathematicis. Reliquum igitur eſt, vt ſtatuamus Dei totius Machinæ mundanæ opificis, admirandum hoc eße Oſtentum, præter omnem naturæ ordinem, à ſeipſo in initio conſtitutum: nunc demum adueſperaſcenti mundo exhibitum. Diuina enim maieſtas liberrimè agit, nec vllis obſtricta eſt Naturæ vinculis, ſed cùm vult, ſiſtit aquam fluuiis & vertit ſidera retrò.

Hæc potuit Solis currus inhibere volantes,
Cùm Populi Iſraël dux Ioſue ſterneret hoſtes.
Hæc potuit Solis ſine Luna, extinguere lumen,
Cùm ſuus eſt factus pro nobis victima Gnatus.

Quapropter etſi de hoc nouo & nunc primum nato ſidere, aliqua in medium adferre conſtituerim: tamen de

eius

eius generatione, & quibus rationibus extiterit, me nihil affirmare posse, ingenuè fateor: sed solùm ea, quæ ad Mathematicam considerationem spectant, excutiam. Dicam enim de eius, quo ad fixas & Zodiacj longitudinem, latitudinemq; positu: de ipsius à Terra, centro Vniuersi, remotione: nec non de eiusdem magnitudine, lumine, & colore: quibus etiam de huius stellæ effectibus, ab Astrologia petitas coniecturas subiungam.

DE

DE HVIVS NOVÆ STELLÆ IN COELO, QVO AD FIXAS positu, & ipsius quo ad Zodiacum, longitudine & latitudine.

Conspiciebatur hæc recens nata stella in Boreali cœli plaga, versus polum Arcticum, iuxta constellationem, quam veteres Magi Cassiopeam appellarunt, vicina paruæ istj stellæ, quæ est in Cathedræ medio loco, modicùm ab ea versus Cepheum remota. Constituebat etiam cum suprema Cathedræ, & ea quæ in pectore Schedir appellatur, eaq; quæ iuxta incuruationem ad ilia tendit, figuram quadrilateram. Sed vt tota res melius cognoscatur, præcipuas stellas sideris Cassiopeæ, vnâ cum huius nouæ ad illas positu, oculis subijciam.



Diſtantiam verò huius ſtellæ à fixis aliquibus in hac Caßiopeiæ conſtellatione, exquiſito inſtrumento, & omnium minutorum capacj, aliquoties obſeruaui. Inueni autem eam diſtare ab ea, quæ eſt in pectore, Schedir appellata B, 7. partibus & 55. minutis: à ſuperiori

verò

verò sellæ G, partibus 5, minutis 21: à flexura deniq;, & ea, quæ iuxta ilia D, 5 partibus minuto 1. Ex his distantijs huius nouæ stellæ à dictis fixis, ipsius locus incidit, quo ad longitudinem in 7 G: 8, cùm latitudine Septemtrionalj 54 ferè partium, paucissimis vtrobiq; neglectis minutis: idq; potissimum per duas vltimas distantias, à flexura videlicet, & suprema Cathedræ innotuit. Nam si harum duarum fixarum loca, secundum longitudinem & latitudinem nota, præsupponamus, non latebit scientiæ triangulorum sphæricorum gnaro, noui sideris ab æquinoctio verno in longitudinem, & ab Eccliptica in latitudinem remotio. Sint enim euidentioris demonstrationis gratia, in sequentj figuratione, duæ stellæ fixæ sideris Cassiopeiæ A & B: quarum A sit illa in Cathedræ parte superiore, quam alij in ascensu medio collocant: B verò illam, quæ in flexura est, iuxta ilia, representet: C autem locus nouæ stellæ, & A C, arcus distantiæ eius à suprema Cathedræ: C B, arcus inter hanc & flexuram interceptus: & A B, arcus intercapedinis vtriusq; fixæ. Sit insuper G polus Zodiacj Boreus, à quo duo quadrantes descendant in Eclipticam, per prænominatas fixas in A & B positas. Per A quidem G, D: per B verò G F. erit itaq; D F arcus Eccliptica dirimens vtriusq; fixæ longitudinem, & A D, atq; B F, arcus latitudinum earundem fixarum. Pari ratione à polo Zodiacj, per locum nouæ stellæ in C positæ,

ducatur quadrans in Ecliptica, quæ hîc G. E. erit. Itaque E. locus longitudinis nouæ stellæ, & D. E. arcus differentiæ longitudinis huius à priori fixa in A posita. C E verò arcus latitudinis, seu remotionis ipsius ab Ecliptica. Præsupponantur autem loca longitudinis & latitudinis Fixarum, qualia Copernici abacus, adiecta æquinoctij precessione, indicat, vt sit longitudo prioris stellæ A in 29. G. 0. M. ab æquinoctio verno, idque in puncto D, cum latitudine boreali 51. G. 40. M. quam representat (vt dixi) arcus A D. Longitudo autem posterioris in B positæ, sit in 7. G. 50. M. ♉. Idq; in puncto F, cum latitudine boreali 49. G. 0. M. quam designat arcus B. F. Hinc lubet indagare arcum D E. quantum videlicet E longi-



tudo

tudo nouæ stellæ excedat longitudinem fixæ in A. positæ, quæ est in D. Vt E locus longitudinis nouæ stellæ, in Eccliptica cognoscatur. Libet etiam hinc arcus C E, quantitatem indagare, vt innotescat etiam huius nouæ stellæ ab Ecliptica remotio, quam latitudinem vocant. Verùm vt in horum noticiam per triangulorum Sphæricorum scientiam, debito processu peruenire liceat, considero omnium primò Triangulum A G B, cuius bina latera in G polo iuncta, nota sunt, per complementa latitudinum fixarum G A, scilicet 38. G. 20. M. G B verò 41. G. 0. M. Est etiam angulus, quem dicta latera comprehendunt notus. Illũ enim metitur arcus D F, differentia videlicet longitudinis vtriusq; fixæ, quæ est 8 Gra. 50. M. Vnde per vigesimam octauam propositionem libri quarti, Iohannis Regiomontani, de triangulis sphæricis, arcus A B innotescit, quem inuenimus 6. partium cum ¼, qualem etiam per instrumentum, capiendo vtriusq; fixæ distantiam, obseruaui. Habet itaq; nunc dictum Triangulum A G B omnia latera nota: vnde per vltimam propositionem libri quarti Regiomontani de Triangulis, vel tertiam libri quinti eiusdem, Copernici verò de ijsdem decimam tertiam, Angulus B A G manifestabitur. Inueni autem hunc angulum, absoluta operatione numerorum, iuxta dictas propositiones, partium III. Minutorum 46. Nunc etiam pari ratione angulum Trianguli C A B, qui est ad A, dimetior: nam & omnia huius

latera nota ſunt ex antecedentibus, C A part: 5 Minoturum 21: C B, 5 Part. 1 Min. A B 6. Par. 15 Min. Euadit igitur Angulus C A B, per dictas propoſitiones, partium 49. Minu. 52. Hunc angulum ab angulo B A G prius inuento, aufero, tanquam partem de ſuo toto, & relinquitur quantitas anguli C A G, partium 61, Minu. 44. Nunc progredior ad Triangulum C A G, cuius Angulus, qui ad A, iam innotuit: duo verò latera dictum angulum comprehendentia G A & A C, ex ſuperioribus nota ſunt. Quapropter beneficio 28 propoſitionis libri quarti Regiomontani de Triangulis, reliquum latus G C innoteſcet, partium videlicet 38 Minut: 4. Erat autem arcus G C, complementum latitudinis nouæ ſtellæ. Vnde ſublato eo, à Quadrante, vera ſtellæ latitudo, partium 53 Minut: 56 euadit: quantitas videlicet arcus C E. Pro longitudine verò huius ſtellæ indaganda, anguli D G E, quantitatem per omnia latera Trianguli G A C. iam cognita, dimetior, iuxta operationem propoſitionis 34 libri Quarti, vel tertiæ libri Quinti Regiomontani de Triangulis. Inuenio autem dictum angulum part: 8, & minuti vnius. Hunc verò angulum metitur arcus D E, differentiam longitudinis nouæ ſtellæ à longitudine prioris fixarum repreſentans. Quapropter adiecto hoc arcu, partium, vt dixi, 8 & 1 Minuti ad longitudinem prioris fixæ, quam aſſumpſimus eſſe in 29 G, 0 Min. V, euadit locus longitudinis

nouæ

nouæ stellæ in 7. G ♉ & Min: 1. Latitudinem habens ab Ecliptica suprà inuentam 53 Part: 56. Minu. quod erat Demonstrandum. Hac itaq; ratione, locum longitudinis & latitudinis huius noui sideris, beneficio doctrinæ Triangulorum infallibilj methodo inquisiuimus. Processum verò operationis, in inquirendis angulis & lateribus Triangulorum quibusue iam commemoratis, iuxta citatas huius doctrinæ propositiones, non est huius loci plenius explicare, tùm quòd prolixius, & nimis perplexum fieret hinc totum negotium. Bona enim pars propositionum libri quarti Regiomont. In hoc opere absumitur, eò quòd omnes, more Geometrico catenatim cohæreant: tùm etiam quia diuinior & excellentior sit Triangulorum sphæricorum cognitio, quàm fas sit eius mysteria omnibus propalare. Licet vero non ignorem stellarũ octaui orbis loca, non esse satis exquisitè cognita, vnde fierj potest quod loca fixarũ, quibus in hac demonstratione tanquam fundamento vsi sumus, non præcisè eum, quem assumpsimus habeant longitudinis & latitudinis locum, quapropter locus huius nouæ stellæ, etiam paulo aliter fortè constituendus esset, tamen quia ipsemet in harum fixarum locis, nihil certi obseruatum habeam, noluj à Ptolomæj & Copernici annotatione recedere. Quin potius, cum illis, quam Alphonsina farragine sentire, eò quod obseruatione crebra didicerim, Copernici motus propius cœlo accedere, quàm aut Alphonsinas aut vllas alias cœlestium motuũ tabulas. Confido autem locũ

huius

huius stellæ a nobis assignatum, & beneficio cæterarum fixarum inuentũ, non multum a vero aberrare, & dabo operam, si Deus vitam prorogauerit, vt loca fixarum ex propria obseruatione aliquando emendata, in communem Astronomorum vtilitatem publicentur.

Ex hac inuenta huius Nouæ stellæ longitudine & latitudine, ipsius etiam declinationem, siue quod idem est, ab Æquatore remotionem minimam, beneficio sphæralium Triangulorum, inueni Part: 61 Min: 58. Quemadmodum per instrumentum etiam oculari obseruatione facta, illam eiusdem exquisitè quantitatis inueni. Pari quoq; ratione ex nota declinatione & longitudine data, eius ascensionem rectam inquisiui G. 0. M. 22. Vnde hæc stella cum 20. Min. primi Gradus ♎. cœlum culminat, cùm verticj proxima est: & cùm totidem ♎, denuo Meridianum transit Horizonti vicina. Est itaq; locus eius circulo, quem Colurum Æquinoctiorum vocant, fermè coincidens: idq; iuxta limites viæ lacteæ, Cassiopeiæ, & Cepheo interiectas. Verticalis autem est illis in terra locis, quæ eleuationẽ poli Arctcj 62. G. minus 2. M. habent. Tanta enim est stellæ (vt dixi) declinatio. Atq; hæc de nouæ illius stellæ positu, tam quò ad fixas, quam quò ad Ecclipticæ longitudinem, ipsumq; Æquatorem, sufficienter, & dicta & demonstrata esse arbitror. Hunc autem positum seruauit toto tempore, ex quo illam primò conspeximus, nec vllo minuto (sæpenumero facta diligenti obseruatione)

one) hinc progreßa eſt, elapſis iam menſibus Sex. Quapropter in poſterum etiam eodem in loco permanſuram, nec vllo alio motu proprio, quàm ſtellarum fixarum, communi octauæ ſphæræ, progreßuram auguror.

DE SITV EIVS, QVO AD MVNDI DIAMETRVM, ET DIſtantia à terra centro Vniuerſi.

ARduum eſt, ſubtiliq; indiget ingenio, ſtellarum à nobis indagare remotionem, propter incredibilem earum à terra diſtantiam: nec vlla ratione commodius & certius id preſtari poteſt, quàm per paralaxeos, ſi quam habent, menſuram. Si enim ſtella aliqua horizonti vicina, alio in loco cernatur, quàm vbi altißima vertici appropinquat, neceßarium eſt eam reperirj in aliquo orbe, reſpectu cuius terra ſenſibilem habeat magnitudinem. Quàm verò longè remoueatur dictus orbis, paralaxeos quantitas ſemidiametro terræ collata, manifeſtabit. Sin verò ſtella tam iuxta horizontem, quàm verticem, in eodem primj mobilis puncto cernatur, non dubium eſt, eam, vel in octaua Sphæra, vel non longè infrà, in orbe, cuius reſpectu tota terra punctj vicem gerat, locum obtinere. Vt

igitur nobis ea ratione innotesceret, vtrum hæc stella in Elementari regione, aut inter cœlestes orbes existeret, qualemq; ab ipsa terra haberet distantiam, indagauimus an vllam, & quantã, haberet paralaxin, idq; hoc modo. Interuallum inter hanc & Schedir Cassiopeiæ (eò quod hæc stella ferè cum noua, Meridianum vnâ obtineat) obseruaui cùm verticj proxima esset, 6 tantum gradibus ab ipso zenit remota (ideoq; nullam, etiam terræ propinqua in eo loco induceret paralaxin, sed locus eius visus & verus in vnum punctum propter ferè coincidentes à terræ centro & superficie lineas, vnitur) Idem præstiti cùm longissimè à zenit remota, Horizonti proxima esset: & vtrobiq; eandem præcisè à dicta fixa inuenj distantiam nullo minuto variatam, partium videlicet 7 & 55 Minutorum. Idemq; per alias stellas multiplicj facta obseruatione expertus sum: vnde hanc nouam stellam nullam habere aspectus diuersitatem, etiam Horizontj vicinam, concludo. Aliàs enim in minima sua altitudine longius remota fuisset à prænominata stella in pectore Cassiopeæ, quàm in altitudine maxima. Quapropter non in Elementarj regione infra Lunam, sed longè suprà, in orbe, cuius respectu, terra, sensibilem non obtineat magnitudinem, collocarj hanc stellam necessarium erit. Si enim in suprema aëris regione infra concauam sphæræ Lunaris regionem esset, sensibilem induxisset in circulo altitudinis variationem, horizontj proxima, ab eo loco quem obtinebat verticj vicina. De-

scriba-

ſcribatur enim certioris demonſtrationis cauſa, circulus repræſentans Meridianum, vel aliquem alium verticalem primi mobilis, in quo loca omnium ſtellarum conſiderantur, qui ſit C B D E, cuius centrum ſit A: Diameter verò B E verticem, C D Horizor[illegible] deſignet: ſit inſuper eodem centro deſcriptus circulus A K L, qui terrenj orbis circumferentiam denotet. Inter hos alius ſignetur circulus G H F I, qui infimum ſphæræ Lunæ & terræ proximum repræſentet ambitū, in quo ſtellam hanc exiſtere fingamus: ſitq; primùm in maxima ſua altitudine iuxta punctum G: Manifeſtum eſt quòd careat omni diuerſitate aſpectus. Ambæ enim lineæ à centro terræ, & oculo in eius ſuperficie conſtituto, eductæ in vnum eundemq; primi mobilis circuli, videlicet C B D E cadent locum, in punctum videlicet B, vel propè, ſi ſtella non ſit præciſè in G. Hæc enim 6 gradibus à vertice remouetur, cum nobis altiſsima ſit, qui tamen nullam ſenſibilem inducunt variationem ab ipſo vertice. Conſtituatur verò hæc ſtella in eodem circulo G H F I, in minima ſua altitudine, idq; in puncto O, neceſsarium erit eam in alio loco extremj circulj videri, ſi oculus conſtituatur in K ſuperficie terræ, quàm ſi in A eiuſdem centro. Ductis enim lineis à K ſuperficie, & à centro terræ A, per O locum ſtellæ, in extremum orbem B D E C cadet linea ab A per O in P: à K verò per idem O in Q. Eſt igitur P Q, arcus primi mobilis, ſtellæ aſpectus diuerſitatem oſtendens.



Lubet itaq; inuestigare quantitatem arcus P Q, vt innotescat quantam haberet hæc stella diuersitatem aspectus Horizonti proxima, si in circulo I G H F proximè infra orbem Lunæ constitueretur in puncto O.

Idq;

Idq; vt commodius fiat, producatur linea Q O K donec alia à centro A producta, illj perpendiculariter incidat, sitq; hæc in puncto R. Cùm verò angulus B K Q notus sit per obseruationem: est enim complementum altitudinis minimæ, ipsius stellæ, videlicet, partium 62, Minut. 5, non ignorabitur ei contrapositus R. K. A. ipsi æqualis. Est insuper angulus K R A, ex hypothesi rectus: & latus K A, notum est per mensuram quamcumq;. Est enim semidiametur ipsius terræ: non ignorabitur A. R, per 29 propositionem Regiomontanj de triangulis planis. Si itaq; ponatur semidiameter terræ K A, partium 100000, tanquàm sinus totus, cùm sit latus recto angulo, qui ad R, oppositum, euadit latus A R, partium 88363. Nunc demum concipio triangulum R O A, cuius duo latera R. A, & A O, nota sunt. Est enim A. O. distantia à centro terræ ad infimam superficiem orbis Lunæ, quam vnâ cum Copernico statuimus partium 5200000, qualium semidiameter terræ A. K, erat 100000 (lubet enim maioribus numeris negocium hoc absoluere, vt calculus eo sit commodior & exactius innotescat) cumq; in dicto triangulo angulus O. R. A. ex hypothesi rectus sit, per 27 propositionem Regiomontanj de triangulis planis, non latebit angulus R. O. A. Multiplicato enim latere A. R. in totum sinum, producuntur 8836300000, qui numerus per latus A. O diuisus, relinquit 1699 partes, sinum videlicet angulj R. O. A, cuius arcus est, 0 partium, 58½

Minutorum, qui numerus, anguli quæsitj determinat quantitatem. Huic verò angulo R O A, æqualis est angulus P O Q. Est enim illj contrapositus, vt patet ex elementis Geometriæ, idcirco arcus P Q, qui hunc angulũ metitur (nam propter immensam distantiam inter Sphæram Lunæ & primum mobile, arcus P Q non differt sensibiliter ab arcu circulj interuallo O P ijsdem lineis intercepto) stellæq; designat paralaxin, erit minutorum 58½, quod erat quærendum. Tantam igitur habuisset hæc stella in O posita, aspectus diuersitatem, ab eo loco, quem prope verticem obtinebat, in eum vbi Horizontj proxima conspiciebatur. Id autem per multas & diligentes obseruationes (vt suprà dixi) factas, exquisito & minimè fallaci instrumento, falsum inuenimus. Vnde concludo hanc nuper visam stellam non esse in circulo I. G. H. F, suprema videlicet aëris regione, proximè infra Lunæ orbẽ, nec in aliquo loco adhuc terræ propiore. Tunc enim maiorem induxisset quantitatem arcus P Q, maiorq; fieret aspectus diuersitas: sed longè supra sphæram Lunæ, in ipso cælo locum obtinere, idq; in orbe aliquo, tanto interuallo à terra remoto, vt linea K A. Semidiameter terræ, non habeat respectu eius sensibilem quantitatem: sed tota terra illj collata nil præter puncti vicem habere animaduertatur, idq; in octaua sphæra, vel non longe ab hac in altioribus trium superiorum Planetarum orbibus, fierj ab artificibus compertum est. Vnde hæc stella in ipso cælo, vel in octauo orbe cum reli-

reliquis fixis, vel in proximè huic subiectis sphæris constituetur. Quod autem nec in orbe Saturnj, nec Iouis, Martisue, aut aliorum Planetarum existat, hinc patet, quòd elapso iam Sex mensium spacio, nullo minuto ab eo loco in quo primùm eam conspeximus motu proprio progressa est, quod fieri oportebat si in aliquo Planetarum orbe esset. Moueretur enim motu ipsius orbis peculiari, contra primi mobilis rationem, nisi in altero polorum, orbium secundi mobilis quiesceret, à quo tamen 28 partibus, vt supra ostendi, remouetur. Toti enim orbes proprijs polis reuoluti, sua circumducunt sidera, vel ab illis, (vt Plinio & quibusdam alijs placere video) circumaguntur. Nisi quis receptam à Philosophis & Mathematicis sententiam negare velit, solasq; stellas immotis orbibus conuolui (quod absurdum est) asserere. Vnde si hæc stella in aliquo orbium septem errantium siderum constitueretur, necessariò cum ipso orbe, cui affixa esset, contra diurnam reuolutionem circumduceretur. Atq; hic motus etiam in lentissimo Saturni orbis progressu tanto temporis interuallo, etiã absq; omni instrumento intuentj animaduerteretur. Quapropter hæc stella noua nec in Elementari regione infra Lunam, nec in orbibus septem errantium siderum, sed in octaua sphæra inter reliquas fixas locum habet, Quod erat demonstrandum. Hinc sequitur illam non esse aliquam peculiarem Cometarum speciem, nec quoduis aliud apparens igneum Metheoron. Hæc enim omnia non in ipso cœlo generantur, sed infra

Lunam

Lunam in ſuperiorj aëris regione exiſtunt, vt omnes teſtantur Philoſophi: niſi quis cum Albategnio ſtatuere velit, Cometas, non in aëre, ſed in cœlo naſcj. Ille enim ſe Cometam ſupra Lunam in ſphæra Veneris obſeruaſſe exiſtimat: quod an fierj poſſit, nobis nondum conſtat: Sed Deo dante aliquando, ſi noſtra ætate aliquis extiterit Cometa, eius rej certitudinem inquiremus. Hoc etſi verum eſſe ponamus (quod vnâ cum omnibus Philoſophis vix admitto) tamen non ſequitur hanc ſtellam Cometarum eſſe ſpeciem: tùm propter ipſam formam, quam habet cum veris ſtellis communem, & ab omnium hactenus viſorum Cometarum figura diſſimilem: tùm quòd nullo motu proprio, tanto tempore, vel in latitudinẽ, vel in longitudinem proceſſit, vt in Cometis fierj animaduerſum eſt. Licet enim hi aliquando in vno loco per aliquot dies quieſcere videantur: tamen non ita diu, nec ita exactè, diligenter per inſtrumenta exquiſita obſeruatione facta, eundem ſeruant poſitum. Concludo igitur hanc ſtellam, non eſſe vllam Cometarum ſpeciem, vel aliquod igneum metheoron, ſiue infra Lunam, ſiue ſuprà generentur: ſed lucentem in ipſo firmamento eſſe ſtellam, nulla ætate à mundj exordio ante noſtra tempora prius conſpectam. Atq; hæc de ſtellæ eius ſitu, tùm quo ad zodiacum, tùm quo ad mundj diametrum, & cœlj orbes, ſufficienter dicta demonſtrataq; exiſtimo: nunc ad reliqua progrediar.

DE

DE EIVSDEM MAGNITVDINE, LVMINE, et colore.

MAgnitudo ſtellarum duobus modis ab artificibus conſideratur: vno, quò ad viſibilem & apparentem diametrum: altero, quò ad veram, quam in ipſo cœlo habent quantitatem. Licet enim ſtellæ nobis admodum conſpiciantur exiguæ, & non aliter quàm paruæ faces in cœlo lucentes appareant: tamen per ingenioſas Mathematicorum obſeruationes compertum eſt, eas non ſolum totj terreſtrj globo æquales eſſe, ſed longè illum ſua magnitudine excedere: adeò vt vix aliqua tam exigua in firmamento conſpiciatur ſtella, quin decies octies, ad minimum, terrenam molem exuperet: vt taceam aliquas primum honorem obtinentes, centies quinquies terram magnitudine excedere Id licet multis incredibile videatur: tamen immenſam earum à nobis diſtantiam conſiderantj nullum mouebit dubium. Quapropter etſi hæc noua ſtella, exigua quo ad viſum appareat: tamen reuerà ingentem habet magnitudinem. Non tamen ſemper eiuſdem apparuit quantitatis. Nam ab initio, menſe Nouembrj, quo primum conſpici cæpit, non ſolùm omnes ſtellas fixas, ſed ipſos etiam Planetas, et quidem Iouem tum terræ proximum, Venerisq; illuſtre ſidus, viſibili quantitate exſuperauit.

postea paulatim imminuj cœpit, adeo vt mense Decembrj, Ioui fere æquaretur: in Ianuario, illo paulo minor, et fixis primj honoris maior, quibus in Februario et Martio æqualis apparuit, conspiceretur. Demum etiam plus imminuta est, adeo vt hoc tempore in initio nimirum Maij, stellas secundi honoris non excedat. Quemadmodum verò quo ad visibilem diametrum hac ratione imminuta est, sic etiam quo ad veram, variatam esse consentaneum est. Ab initio autem quando longè excedebat stellas primæ magnitudinis, incredibilj quantitate totam Terræ molem superabat. Nam si stellæ fixæ primæ magnitudinis, Terram (iuxta Mathematicos) centies quinquies exuperant, & hæc noua tantundem à Terra, quantum illæ (vt supra demonstrauimus) remouetur, maioremq; longè obtinuit visibilem diametrum, necessariò etiam longè plus centenis vicibus molem, quàm Terra & Maria efficiunt, ab initio excessit. Sed progressu temporis imminuta, iam non maior esse poterit ipsa Terra, quàm sunt stellæ secundi honoris.

Lumen verò stellæ, conspicitur esse præ cœteris fulgidum & radians: adeò vt ab aliquibus in initio etiam interdiu iuxta meridiej tempus, cœlo nulla aëris densitate offuscato, nonnunquam cerneretur. Scintillat etiam, vt reliquæ stellæ fixæ, & plurimum. Vnde etiam patet eam non esse inter orbes planetarum, sed in sphæra octaua vnà cum reliquis fixis (prout suprà quoq; asseruimus) collocarj. Planetæ enim non scintillant, sed solum

lum stellæ fixæ, & inter eas aliquæ magis, aliquæ verò minus: siue quòd earum maxima à nobis remotio hoc efficiat per aërem intermedium, vt quidam opinantur, quod tamen non credo: aliàs enim Saturnus Apogeus, cùm proximus est stellis fixis, etiam scintillaret: siue quòd fixa sidera super propria centra perpetuò circumgirantur, & inde pro aëris qualitate scintillationem aspectuj immittant, vt potius cum Platonicis, statuo.

Quantum verò ad colorem huius stellæ attinet, non semper eundem retinuit, sed ab initio albicans videbatur, & propius Iouiali splendori accessit: progressu autem temporis, lumine coarctato & inspissato, in rutilantem & Martium fulgorem degenerauit: qualis est Aldeboræ, aut illius, quæ in dextro humero Orionis rubescit. Non tamen vsq; adeo rutilans fuit, quemadmodum hæc in humero, sed propius ad colorem Aldeboræ accessit. Nunc autem relicto isto Martio rubore, in liuidam transiit albedinem, ita vt hoc mense Maio, quiddam Saturnium & Veneri simile præ se ferat.

Quod autem hæc stella tam magnitudinem quàm colorem, vt diximus, sensibiliter mutauerit, id non sufficienter probat, eam in Elementari regione, infra orbem Lunæ collocarj, & peculiarem esse quandam Cometarum speciem, vel aliam quamuis igneam exhalationem. Si enim possibile fuit, nouum aliquod corpus, in ipso æthere generari, quod de hac stella supra infallibilibus demonstrationibus, contra omnium Philosophorum

ſententias & decreta, probauimus: longè minus impoſſibile & abſurdum cenſebitur, hanc ipſam nouam Stellam, aliquam alterationem magnitudinis & coloris admittere. Imò verò, quemadmodum illa aliquando in cœlo, præter communes Naturæ Leges extitit, ita etiam ſi in eodem aliquando, contra eaſdem Naturæ leges conſpicj (vt credibile eſt) deſinat, non video, quid priori, hinc magis abſurdum conſequatur.

Aſtrologicum iudicium de *effectibus huius nuper natæ Stellæ.*

ET ſi de effectibus huius Stellæ aliquid certj cõſtituere longè ſuperet Aſtrologiæ metas, & veriſimile ſit, Deum, maius quippiam per hanc, mundo oſtendere, quàm beneficio vllius ſcientiæ Phyſicæ à quouis mortalium præſciri poſſit: tamen breues coniecturas ab Aſtrologiæ fontibus petitas ſubiungam, quatenus nonnulla huius artis beneficio præſciri poſſibile eſt, & mihi cognita pro temporis breui occaſione in mentem veniunt: nihil hac in parte derogantes Theologorum, vel aliorum quorumuis ſententiæ, nec noſtras coniecturas pro Edictis prætoriis aut oraculis vendentes. Veriſimile eſt autem, quemadmodum

huius

huius stellæ miraculum, præ omnibus, quæ à mundj exordio facta sunt, est rarissimum & maximum: sic etiam rarissimos & maximos habiturã hanc stellam effectus. Quapropter illam plus ostenti habere iudico, quàm vlli superiorum Planetarum congressus, etiam illj, quos vocant maximos: aut vllæ luminarium quantæcumq; eclipses: vel vllæ aliæ, quouis modo stellarum in cœlo congressus aut configurationes. Hæc enim omnia, etsi magnas in hunc inferiorem mundum habeant potestates, vt indies veri experiuntur Artifices: tamen, quia crebrius fiunt, & naturali ordine, non tantas habere possibile est significationes, quantas hæc recens nata stella, quæ præter omnem Naturæ ordinem, nunc primùm in cœlo extitit, omnesq; reliquas fixas, sua magnitudine & luminis fulgore plurimum exuperat. Qui verò & quales futuri sint huius stellæ effectus, admodum difficile est ex Astrologiæ fundamentis indagare. Hæc enim Ars, ex multiplici, & rarò fallenti experientia, suas constituit Conclusiones, nec nisi semel, tempore Hipparchi factum esse legimus, quod noua in cœlo prodierit stella. Vnde ab experientia, iudicium hac in re petere, ambiguum penèq; impossibile est. Verisimile tamen esse iudico, quod veuti circa Hipparchi tempora, qui floruit iuxta annum mundj 3840, ante Christum annis ferè 125 (quemadmodum ex obseruationibus ab eo factis, & à Ptolomeo citatis colligitur) paulatim post eius stellæ apparitionem, quam obseruauit dictus Hipparchus, mirabiles

contigerunt, tum in populo Dej, tum in vniuerso orbe habitabilj mutationes: ita hisce similiter temporibus, fatales ingruere periodos, non est dubium.

In populo enim Dej, cæpit lux veræ doctrinæ paulatim deficere, & ab ingratis Iudæis negligi atq; conculcarj. Exortæ sunt tum, Sectæ illæ tres, Pharisæorum, Essæorum & Saducæorum. Concertabant inter se summj Pontifices, non largitionibus ac ambitione tantùm, sed & sanguine atq; cæde, pro aris & sũmo Pontificatu obtinendo, vt ex historia istius Iohannis apparet, qui à fratre, hac de caussa, in ipso templo occisus est. Paulò post, sceptrum etiam amisit Ianna Hyrcanus, vltimus ex tribu & domo Dauid: & secutæ sunt passim horrendæ clades & funestæ lanienæ, ciuiles & externæ, vsq; dum gregem suum pusillum, tum temporis in oppidò angustum redactum, Dux de Bethlehem ciuitate Iuda inuisit, & oriens ex alto Stella Iacob, de qua Bileam vaticinatus erat, Lux vera toti orbi salutaris, illuxit: quam duce stella, Magi inuenerunt, & sublato postea interstitio, Iudæi pariter atq; Gentes micantem conspexerunt.

Circa hæc etiam tempora, in Rebuspub. Passim magni cæpere motus. Græcorũ Monarchia, crebris bellis, tam externis quàm ciuilibus labefactarj, & imperium Romanis indies magis magisq; acrescere cæpit, donec imperij fines Orbis in Vrbe forent: sic etiam hanc stellã, quæ nostra ætate prodijt, maximam Reipublicæ mutationem, aliumq; imperiorũ & regnorum statum sequen-

tibus

tibus aliquot annis præsignificare: præsertim quia hæc stella incidit in completam fermè periodum omnium Trigonorum totius zodiaci. Nam post annos abhinc decem, congressus superiorum planetarum, præ cæteris maximus, in extremitate Piscium, finem imponet Trigono aqueo, vnaq; omnium aliorum circuitum (qui vix octingentis annis absoluitur) claudit, & nouum Trigonorum principiũ, ab Ariete, in ignea Triplicitate incipiet. Quapropter hæc recens nata stella, cum sequenti Trigonorum nouo exordio plurimum conspirabit, idq; eam præsertim ob causam, quia locus stellæ respectu polorum mundi, in initium Arietis incidit, quo etiam in loco nouum Trigonorũ exordium (vt dixi) celebrabitur. Quantæ igitur hinc portendantur Imperiorum & Monarchiarum, omniumq; statuum per vniuersum orbem, immutationes, huius artis periti facilè intelligunt. Quod verò hæc stella, quo ad polos mundi in principium Arietis, locum æquinoctialem, totiusq; zodiaci nouum exordium, prope circulum, quem colurum æquinoctiorum vocant, incidat, post varios & graues tumultus variasq; omnium rerum in mundo immutationes, nouum quendam & diuersum à prioribus Monarchiarum statum, tùm etiam Relligionis & Legum aliam administrationem portendere, ex loci ipsius insita vi & peculiari natura videtur.

Quantum verò ad ipsius stellæ naturam attinet, quoniam ab initio, Iouis amicum lumen æmulabatur, idcir-

idcirco in initio etiam ſuorũ effectuum, læta & proſpera omnia ſpondere videtur, rerumq; è terra creſcentium & vſibus humanis aptarum, vberem promittit copiam: tum etiam animantium ſalubritatem, & aëris lætam amænitatem, pacemq; & concordiam. At quoniam, in medio, in rutilantem Martis feruorem degenerauit, poſt hæc læta & auſpicata initia, ſubſecuturas ingentes clades & calamitates, quales Martis virulentum ſidus, mundo peculiariter influit, vt ſunt bella, ſeditiones, captiuitates & mortes principum, regnorum & vrbium depopulationes, tyrannides, violentiæ, iniuriæ, incendia, homicidia, rapinæ, latrocinia, & his affines calamitates. In aëre verò ſiccitates, flagrantes æſtus, metheora ignita, atq; hinc morbi peſtiferi, & anhelantj veneno ſerpentes, atq; his ſimilia. In fine verò, ex Saturnia natura, & lucida albedine, portendit anguſtias, mærores, mortes, carceres, omniaq; inauſpicata & funeſta.

Quia verò, momentum, quo hæc ſtella primùm apparuit, ſciri non poteſt, nec ex ſiderum poſitu, qui tunc erat, more Aſtrologorum, iudicium fieri: tentabimus proximum quiddam, ex poſitu ſiderum, qui tempore Nouilunij proximè antecedentis ſtellæ apparitionem extitit: idq; exemplo Halj commentatoris Ptolomej, qui idem in Cometa, cuius initiũ ſcirj non potuit, factitauit. Sequitur igitur figura cœlj & ſiderum qualis fuit in Nouilunio diei 5 Nouembris. Nam circa id tempus,

vel



vel non longè ante aut post, stellam primùm apparuisse existimo. Nobis enim, vt ab initio testatus sum, primùm die 11 Nouembris conspecta est: an verò aliquot prius diebus fulserit, quoniam in nostra Regione dies

illj nubibus obductj, Siderum aſpectum prohibebant, apud me incertum eſt: non tamen vltra biduum vel triduum ad ſummum prius extitiſſe opinor.

Dominatorem in hac cœli configuratione conſtituo Martem. Is enim in loco luminarium Carpentum, in angulo ſequente Exaltationem, in Horoſcopo inſuper & cœli medio cardine Triplicitatem obtinet, & cum ♄ in receptione domicilij, per ✱ quoq; aſpectum exiſtens, non longè ab angulo occidentis, qui proximè luminariũ coniunctionem ſequitur, remouetur: & ipſa ſtella, cum initio Arietis, eius domicilio & Carpento, Meridianum cœliq; culmen attingit. Vnde tot concurrentibus cauſis, non dubiũ eſt, Martem in hac cœlj figura prærogatiuas partes obtinere. Adde quòd omnes reliqui Planetæ in ipſius domibus ♈ videlicet & ♏ reperiantur, excepta ſola Venere, quæ in Libra, ipſi, quadrata radiatione aſſociatur: ipſe verò Capricornum propriam Exaltationem poſſidet.

Cum igitur Mars, admodum potens in Dominio Nouilunij hanc ſtellam præcedentis, & cum Arcturo ſtella, de propria natura, admodum impetuoſa, in eodem circulo Poſitionis occidat, non longè à Lunæ nodo, quem caudam Draconis vocant, remotus: plurimum ea ſignificata intendit, quæ ſupra, ipſam ſtellam, ex propria natura, quam Mauorti habet affinem, portendere diximus: vtpote tumultus, prælia, hoſtiles hominum inſidias, imperiorum & ciuitatum deuaſtationes ac depopulatio-

lationes, aërisq; intemperiem siccam, & morbos venenatos ac pestiferos, cœteraq; his similia mala, quæ Martis feruens stella mortalibus inferre solet. Quia verò Martis dominantis locus, incidit in sextam domum, peculiariter videtur, noua & inusitata morborum genera, & per vniuersas regiones graßantes ægritudines, portendere.

Quantum verò ad ipsius stellæ positum attinet, consideratione dignum est: quòd hæc, tempore huius Nouilunij, in ipsum ferè verticem incidit, vnde in medio cœlj & decima domo constituta, peculiarem super imperia, regna, & principatus, horumq; administratores, Reges, Duces & Principes, aliosq; in sublimi Reipublicæ administratione positos, habet significationem. Cum illis autem præcipuè consensum obtinet, quibus ♉ signum in quo stella est, vel Aries cum quo culminat, horoscopum mediumue cœlj, aut loca luminarium cùm nascerentur, obtinebat.

Regiones verò in quibus huius stellæ effectus maximè sæuient, erunt eæ, quæ ad Boream versus polum arcticũ remotæ sunt. Illis enim hæc stella per zenit capitis transit, cum in Meridiano supra polum existit, idq; præcisè in locis altitudinj polj 62 Graduum subiectis, vt sunt, medium totius Moscouiæ, Liuonia, Finlandia, Suecia, & meridionalis Noruegiæ pars. Verisimile tamen est, effectus, etiam ad circumiacentes regiones se extensuros. Nec immunes erunt hi populi, qui triangulo

terreo ſubiacent: eò quòd longitudo Stellæ eſt in ♉, & ♂ dominj Nouilunij præcedentis locus in ♍ incidat, quæ ambo ſigna, de Triangulo terreo ſunt. Sed vt vno verbo rem totam dicam: quia huius Stellæ locus, reſpectu polorum mundi, in Arietem cadit, ſuper totam ferè Europam ſignificationes extendentur. Peculiariter verò illj homines, ab his communibus calamitatibus, quas Stella portendit, corripientur, qui cùm naſcerentur, in Genethliaca conſtitutione, horoſcopi vel luminarium cum loco huius Stellæ, aut eius Dominj Martis, habuere conſenſum.

Tempus autem effectuum, non in paucos aliquot annos terminabitur: ſed in ſequentes plurimos producetur, eò quòd rariſsimum, maximum, & præter omnẽ Naturæ ordinem, huius Stellæ exiſtat miraculum. Tunc verò maximè intendentur ſignificata, quando cum effectibus coniunctionis maximæ ſuperiorum Planetarum, quam dixi poſt decennium nouum Trigonorum exordium inchoandam, coniungentur.

Atq; hæc, de nouæ illius Stellæ effectibus, breuiter & generaliter annotare libuit. Licet autem non ignorem, ex hac ipſa, quamuis vulgari Aſtrologia, quædam paulo ſpecialius prædici poſse: tamen hoc loco tantum præcipua & maximè generalia dicenda iudicaui. In ſpecie enim aliquid certi prædicere velle, nec ſapientis nec boni eſt Aſtrologi, neq; id ſatis tutò fieri poſse arbitror. Intelligentibus huius Aſtrologiæ ſecreta, ſatis

dictum

dictum arbitror. Cæteris enim hæc non ſcribimus, quemadmodum ab initio teſtatus ſum. Tacebo interim ea, quæ è verioribus & ſecretioribus quibuſdam alterius Aſtrologiæ fontibus, afferri poſſent. Illa enim pauciſſimis cognita, & multis fortè ob inſcitiam odioſa cenſeretur: imò per ſe talis ea eſt, vt nefas ſit, eius Myſteria proſtituere.

INCLYTIS VTRIVSQVE ASTROLOGIÆ ALVMNIS,

vbicunq; locorum, vniuersis & singulis, Dominis & amicis, perpetua laude dignissimis,

Tycho Brahe, Danus,

Salutem,

&

Fauentem precatur Vraniam.

VNiuersum hoc & amplissimum totius Machinæ mundanæ Theatrũ, Viri inclyti, Cœlos, Terram, Maria, & quæ in his comprehenduntur, Solem, Lunam, Stellas, Animantia, Vegetabilia, & Mineralia, per Diuini numinis sapientiam, non in suimetipsius, sed hominis, quem suæ imagini conformem reddidit, commodũ necessitatemq; creata & instituta esse, nemo sapiens ire potest inficias. Deus enim, cum sit incorporeus, immensus, æternus, incomprehensibilis, vbiq; & nullibi, non indiget, corporea, finita, temporanea, comprehensibili, & locali, Mundi forma. Sed hominem, Mundo, quo ad hæc, consimilẽ, in terra, centro totius Vniuersitatis, propterea statuit, vt inde, quasi ex specula, vniuersi orbis Naturam & constitutionem contemplaretur: eaq; ratione Dei inuisibilis & incorporei, per visibilia & creata corpora, Maiestatẽ, Sapientiamq; in hac mortali vita, quodammodo agnosceret. Quapropter, post æterni & imperscrutabilis Dei agnitionem, ã semetipso, per Prophetas & Filium Redemptorem nobis reuelatam, spiritualisq; Dei spiritualem cultum, nihil magis homini necessa-

necesſarium, & fini, propter quem conſtitutus eſt, magis conforme eſſe iudico, quàm perpetuò, in iucunda operum diuinorum, quæ in Mundi fabrica vndiq; elucent, conſideratione verſari. Licet autem, vbiq;, tam in Elementari & inferiori, quàm ſuperiori & cœleſti Mundo, illuſtria extent diuini operis monumenta (nullum enim animal tam vile, nulla herba tam exigua, nullum Metallum vel minerale tam abiectum, quin ſingulare & euidens, Dei Opificis, in illis ſingulis, conſpiciatur artificium) tamen, nullibi magis diuinæ ſapientiæ teſtimonia, quàm in ſuperiori illa cœleſtis mundi fabrica conſpici exiſtimo. Inferiora enim hæc & ſublunaria, exceptis hominum Animabus, omnia, Diſsolutioni & Alterationi obnoxia ſunt: nec in illis, regularis & conſtans ordinis reperitur conformitas: Cœleſtia verò & ſupra lunaria corpora, non ſolùm magnitudine, lumine, & forma, hæc inferiora longè exuperant: ſed etiã æterno quodam & diuino quaſi tenore, perpetuas exercent ſuorum orbium reuolutiones, nec à ſibi præfinita via, vllam in partem, quicquam declinant, celeriuſuè aut tardius quàm conſtitutum eſt, motus ſui periodos vnquam abſoluunt. Vnde, cœleſtium & ſupralunarium rerum cognitionem, longè digniorem, harum inferiorum & terrenarum contemplatione, iudico. Et nihil in hoc totius Mundi admirando opificio reperiri exiſtimo, quod magis hominem, exutum terrenis & brutalibus curis, voluptate animi afficere, & in diuini numinis admirationem ac cultum adducere poſſit, quãm æthereæ illius & cœleſtis Machinæ harmoniam, ſublimi cogitatione animo verſare.

Cum verò ita hominum peruerſitate comparatum ſit, vt quò excellentior Scientia aliqua exiſtat, eò paucio-

pauciores ſui habeat cultores, eòq̃ magis ab inſciis & indoctis contemnetur: & quò difficilior ac ſublimior, eò plus, ab ipſis cultoribus deprauata in abuſum redigetur. Hinc factum eſt, in hac etiam Diuina cœleſtis Mundi conſideratrice Arte, quam Aſtronomiam appellārunt, vt non ſolùm ā paucis excolatur, & ab imperito vulgo, multiſq̃ aliās eruditis, derideatur: ſed etiam ā propriis Artificibus & ſectatoribus, perperam ac indignē tractetur. Quid autem inſcii & imperitum vulgus, quos propria excuſat ignorantia, de hac diuina Scientia iudicent, floccifaciendū, nec reſponſione dignum, arbitror. Hi enim, non artis vilitatem, ſed propriam oſtentant inſcitiam: nec iudicium de Artibus, ex eorum opinione, qui eas ignorant, ſtatuendum eſt. Verūm, quōd hæc excellens conſideratio cœleſtium corporum, ab ipſis Artis cultoribus peruerſē, nec ea, qua par eſt diligentia, excolatur, non ferendū cenſeo, Multi enim, cūm vix ā limine diuinam Aſtronomiam ſalutauerint, ſe pro ſummis Artificibus venditare non erubeſcunt, hanc q̃q̃ maximē (ſi quę alia) liberalem Scientiā, ſui queſtus cauſa, deprauare, & negligenter excolere, lucri & laudis loco ducunt. Vt autem de ea Artis parte, quæ motus & reuolutiones orbium cœleſtium conſiderat (quæ etſi ā multis excellentibus viris, ſummo & indefeſſo ſtudio elaborata eſt: hactenus tamē exquiſitē & perfectē ā nullo inuenta) nihil hoc loco dicam: altera ſanè, quæ effectus & influentiam ſyderum, diuino potius quām humano ingenio ſcrutatur, Dii boni, quām indignē, quām negligenter, quām queſtuoſo & turpi abuſu, hodiè, ā pleriſq̃ tractatur. Genethliaca enim conſideratio, quæ ex poſitu ſyderum pendet, hominem cum primūm vitales imbibit auras, excipiente, tota ferē

deprauata eſt, tota in abuſum redacta; tota nulla experientia, vt par erat, ſed futili authoritate (quæ, vt in aliis humanis cognitionibus: ita in Mathematicis, omnium minimè locum habet) à ſuis cultoribus exercetur. Metheorologica verò, quæ cœli, in fœcunda aëris regione, varios fœtus conſiderat, non ſolùm non ſatis exculta eſt: ſed inſuper etiam, ita hodie paſsim proſtituitur, vt imperitum quoq́ vulgus non lateat, quām ſint vani & futiles annuorum Prognoſticorum Artifices. De harum vtriuſq́ abuſu & deprauatione, latius aliquando diſseruimus, in libello quem inſcripſimus *CONTRA ASTROLOGOS PRO ASTROLOGIA*. De poſteriori verò, & Metheorologica, etſi nunc, perfectè omnia fundamenta, omneſq́ rationes non excutere: tamen exemplar aliis inſequendum (amicorum ſollicitationibus impulſus) præ oculis ponere conſtitui. Quali autem ordine, & quibus rationibus, hunc laborem abſoluerim, nunc commemorabo, vt melius noſtri inſtituti percipiatur ratio.

Manifeſtum eſt, aëris qualitatem, poſt Luminarium configurationes euidentes, ſenſibiliter alterari. Quapropter ad ſingula momenta, Nouiluniorum, Pleniluniorum, & intermediarum Quadraturarum, cœli ſyderumq́ poſitus, ordinaui: & non ſolùm ad hæc: ſed etiam, ad medias Quadraturas (quæ octaua cœli parte diſſident) idem tentare auſus fui: idq́ non ſolùm, propria & multiplici experientia, edoctus: ſed, Veterum authoritate vnā id comprobante, feci. Teſtatur enim Plinius, naturalis Hiſtoriæ libro ſecundo, Veteres, conſideraſſe quartam Lunam à Solis congreſſu, & iuxta illam iudicium tuliſſe. Ptolomæus etiam aſſerit, ante tres ferè dies, & nonnunquam poſt tres exæquati itineris

ris Lunaris ad Solem, omnium tempeſtatũ ſignificationes exiſtere ſolere. Quæ tempora, incidunt in configurationis Octogonicæ loca. Adde, quõd veteres Aſtrologi, Lunæ configurationes & habitus, tunc præſertim conſiderandas eſſe ſtatuerunt, quando Luna eſſet in Athacir, quo nomine, interualla ipſius ã Sole octogonica ſignificabant: vt nihil dicam de Criſium Indicatione in morbis animaduertenda, quæ etiam dimidias quadraturas beneficio motus Lunaris obſeruat. Et quamuis, quidam Medici, alias rationes Criſium, quàm ex Lunæ tranſitu ſtatuant, ab inferiori videlicet ipſius Microcoſmi Aſtronomia: tamen non dubium eſt, hanc, cum ſuperiori conſenſum habere.

Tempora autem harum Solis & Lunæ octogonicarum configurationum, non ex vſitatis cœleſtium motuum Tabulis, ſiue Alphonſinis, ſiue Copernianis, aut vllis aliis, mutuati ſumus: ſed per proprias, in vtriuſq; Luminaris curſu, aliquot præcedentibus annis, factas obſeruationes, illa emendauimus: vt non dubitem, tempora Zyſigiarum luminarium, ã nobis aſſignata, propius ad veritatem cœleſtis normæ, acceſſura, quãm ea, quæ ex Tabulis vel Ephemeridibus quibuſue petuntur. Quãm enim ſenſibiliter, hæc, ã ſcopo aberrent, oſtendunt Eclipſium (vt de cœteris taceam) obſeruationes, ſuis calculis non exactè correſpondentes. Quemadmodum nos *CATALOGO OBSERVATIONVM COELESTIVM*, per integrum decennium elapſum, factarum, & inpoſterum (ſi Deo ita placuerit) continuendarum, aliquando manifeſtabimus: & non ſolũm in motu luminarium: ſed etiam reliquarum errantium inerrantiumq; ſtellarum, Martis præſertim & Mercurij, multum adhuc latere ſcrupuli, oſtendemus.

Ad hæc autem tempora Nouiluniorum, Pleniluniorum, & Quadraturarum, integrarum, mediarũq́ꝫ, cœli & ſtellarum poſitum deſignauimus: non per duodenariam cœleſtis Machinæ diſtributionem, vt communiter fieri ſolet: ſed veluti octogenariam luminariũ in Zodiaco configurationem perpendendam duximus: ita etiam ſingulis hiſce Zyſigꝗs, octogenariam totius cœli diuiſionem attribuere, operepræcium viſum fuit: idq́ꝫ ea ratione abſoluimus, vt ſinguli cœli quadrantes, Meridiano & Horizonte intercepti, non trifariam, ſed bifariam, ſecarentur. Rationes autem huius diuiſionis octogonicæ, habemus ampliſſimas: inter quas, præterquam quòd loca media inter Horizontem, & Meridianum, poſt horum circulorum limites, ſint maximi roboris (dimidium enim angulum rectum in centro Vniuerſi efficiunt) quotidianus inſuper Oceani affluxus & refluxus, etiam non obſcurè teſtatur, locis, Meridiano Horizontiq́ꝫ intermedꝗs, multum ineſſe efficaciæ. Cum enim Luna, motu primi mobilis, eò quotidiẽ peruenerit, Oceanus ſtatum ſuum obſeruare ſolet. Quamuis non ignorem, alios, alias cauſas huius reciproci maris fluxus, conſtituere, idq́ꝫ ex inferiori natura & elementari Aſtronomia: eas tamen, cum ſuperioribus, quibus omnia inferiora parent, conſenſum habere (vt ſupra quoq́ꝫ in Criſium mentione teſtatus ſum) mihi dubium non eſt.

Modum verò huius diuiſionis octogonicæ, non per Zodiacum, vt plerique Arabes, à ſuis polis: nec per Æquatorem à propriis polis, vt Albategnius: nec per eundem Æquatorem ab interſectionibus Horizontis & Meridiani, vt noſtra ætate Regiomontanus factitauit, exequuti ſumus: ſed veluti totum cœlum hac in re con-

considerandum venit, sic etiam diuisionem toti cœlo æqualiter & coformiter competentem, instituimus, nulla habita ratione Zodiaci vel Æquatoris, tanquam imaginariorum, in cœli rotunditate, circulorum. Absoluimus autem hanc diuisionem, per duos circulos in sphæra maximos, mutuis Horizontis & Meridiani sectionibus, inuicem ad angulos rectos, coincidentes, & spacia cœli, eidem Horizonti Meridianoq; intercepta, bifariam, in interualla æqualia diuidentes. Similem quoq; in duodenaria cœli distributione obseruamus rationem, nisi quod hic, dicta spacia Horizonti Meridianoq; interiecta, non bifariam, sed trifariam, æqualiter, per similes circulos intersectioni mutuæ Horizontis Meridianiq; coincidentes, diuisionem instituere oporteat. De toto autem hoc negotio firmas & sufficientes Demonstrationes attulimus, in tractatu, quem *DE VARIIS ASTROLOGORVM IN COELESTIVM DOMORVM DIVISIONE, OPINIONIBVS, EARVMQVE INSVFFICIENTIA* inscripsimus: vbi firmissimis rationibus demonstrauimus, cœli diuisionem, tam per zodiacũ modo æquali, quãm per Æquatorem, siue Albategnij siue Regiomontani via, quam vocauit Rationalem, Mathematicæ harmoniæ consonam, minimẽ esse: aliamq;, sufficientibus & rationibus multa experientia stabilitam, in harum locum restituimus, supputatis etiam Tabulis, quarum beneficio, executioni numeratoriæ, hoc negotium mandari possit.

Infra has octogonicarum zysigiarum cœli figuras, breuem & succinctam singularum figurarum, Astrologicam considerationem, subiunximus. Et primõ, dominantes stellas, quæ videlicet, plurimas prærogatiuas in loco Luminarium, & angulo sequente, tum etiam

Horoſcopo, obtinent, annotauimus: has, vno nomine, more Arabum, *Almuten* appellamus. Adiunximus etiam Dominum horæ inæqualis: eō quod veteres Aſtrologi, plurimūm tribuebant dominis horarum, adeō, vt dierū denominationem ab illis mutuari non dubitarint. Sed dimenſiones illarum horarum, non vulgari ratione (quæ diei artificialis duodecimam portionem vni horæ tribuit) exequuti ſumus: hic enim modus, friuolis rationibus fundatur, parumq; experientiæ conſonat: ſed ſubtiliori quadam via & peculiari Methodo, hanc diuiſionem aggreſsi, ſingulas etiam horas, eiuſdem diei, inuicem collatas, reddidimus inæquales. Atq; hæc diuiſio, & firmioribus rationibus, & maiori experientia fundatur, quām prior, & vulgaris horarum inæqualium diſtributio: vt in tractatu noſtro, *De horis zodiaci inæqualibus, quas Planetarias vocant*, abundē demonſtrauimus: adiunctis inſuper Tabulis, ex quibus ſingularum horarum quantitas, per omnes totius anni dies, facilē depromi, & negotium hoc numeris abſolui poſsit. Poſt Planetas, figuræ ipſius & horæ Almuten exiſtentes, aſcripſi etiam, cum quibus fixis, ☾, tempore eius Zyſigiæ commoratur, & quorum Planetarum naturam illæ referant: vnaq; adiunxi defluxus & applicationes ☾: à quo videlicet Planeta recedat, & cui proximè accedat, ſiue corpore, ſiue quauis configuratione alia. Demum, & manſiones Lunares, etſi à quibuſdam repudiatas, tamen non negligendas duxi: eō quòd omnes veteres Aſtrologi, manſiones Lunæ, quas 28, ex diebus ſuæ reuolutionis ſtatuerunt, magni ſemper fecerunt. Sed initium harum manſionum, non à 20 ♈ deduximus, vt communiter modernis Aſtrologis mos eſt: ſeb ab ipſa prima ſtella aſteriſmi Arietis, à qua pri-

ma

ma manſio nomen habet, quæ ab æquinoctio verno hoc anno remouetur 27 P ♈, exordium cœterarum Manſionum inſtituimus. Falluntur enim moderni Aſtrologi, qui vtuntur iiſdem limitibus Manſionum, quibus Veteres, quorum tempore, prima ſtella Arietis, fuit in 20 ferē gradu Arietis: at nunc, ob Æquinoctij præceſsionem, noſtra ætate, octo ferē gradibus ab initio Arietis nonæ ſphæræ remotior. Poſtremō, ex his, breuem coniecturam, de aëris ſtatu, illi Zyſigiæ competentem, ſubiunxi. Atq; hactenus octogonicarum figurarum rationem, eorumq; quæ his infra ſcripta ſunt, ſatis explicatam eſſe arbitror.

Præmiſimus autem his, cœli, ad tempora octogonicarum configurationum Solis & Lunæ octogonarijs & æqualibus conſtitutionibus, figuras octo: in quibus, poſitus cœli & ſyderum, ad tempora Solſtitiorum & Æquinoctiorum, item Nouiluniorum vel Pleniluniorum, hæc immediatē antecedentium, deſignauimus: vt generalis Quartarum anni, ex his, ſtatus cognoſci poſſit: diuiſionemq; hac in parte retinuimus duodenariam: ſed ea ratione inſtitutam, qua fieri oportere prius dixi. Momenta verō temporum, cum Sol cardinalia puncta ingreditur, per noſtras, in motu Solis obſeruationes, etiam correximus. Adeo quod non dubitauerim, Solſtitium Hybernum, Alphonſina ſupputatione decem fermē horis ſerius, Prutenica verō, ad quintam vſq; horam citius conſtituere. Æquinoctium autem Vernū, nobis, Alphonſinam rationem ad dimidium ferme diem, excedit: cum Prutenicam, ſeptem horis anteuertat: Solſtitium Æſtiuum, plus quatuor horis vltra priorem Alphonſi calculum produximus: at Prutenicis Tabulis, duas ferme horas, detraximus.

Æqui-

Æquinoctium demum Autumnale, Alphonsinis Tabulis sesquialtera hora vlterius: Prutenicis verò, dimidia circiter hora prius, constituendum iudicauimus. Horarum minutias, in his differentijs consultò prætermitto. Vtinam enim eo vsq; cursus solaris certitudo nobis cognita esset, vt vel in horis, certi esse possemus: de minutijs certè non multum altercaremur. Quamuis verò, admodum sit difficilè, imò pene impossibile, Solaris cursus normam adeo exquisitè & scrupulosè cognitam habere, vt inde minutum temporis, quo aliquod Zodiaci punctũ ingreditur, sciri possit (Sol enim, etiam velocissimus, spacio vnius horæ, vix tria minuta absoluit, nullo instrumento, vel maximo, animaduertenda) tamen confido, tempora Solstitiorum & Æquinoctiorum ã nobis annotata, propius motui Solis correspondere, quãm ea, quæ cummuniter, ex Tabulis vel Ephemeridibus petuntur. Nec iudicium figurarum illarum, tam ex cardinum cœli & primi mobilis constitutione, quãm ex propriis Planetarum locis & configurationibus, instituimus: admoniti ex dubio illo Æquinoctiorum Solstitiorumq; tempore. Interim tamen, non desunt aliqui, summo risu excipiendi, qui audent vsq; ad scrupula prima, secunda, & tertia, & plus si velles, hæc momenta iactare: cũm sæpè ad dimidium diem (si cœlum introspicere scirent) se aberrare cernerent. Imò verò, nonnulli, congressus superiorum Planetarum, Saturni quidem & Iouis, in horæ scrupulo præfinire, & ex constitutione cœli, quæ tunc est, demultis annis futuris, iudicium ferre non erubescunt: cũm calculus Alphonsinus in postrema, Saturni & Iouis, magna coniunctione, per integrum mensem aberrauerit: Prutenicus, qui in horum motu

motu eſt exactior, cœlocq; propior, vix diem, nedũ horam vel ſcrupulũ attigit, vt diligenti obſeruatione anno 1563. didicimus. O audaces Aſtronomos. O exquiſitos & ſubtiles calculatores, qui Aſtronomiam in Tugurijs & popinis, vel poſt fornacem, in libris & chartis, non in ipſo cœlo (quod par erat) exercent. Plericq; enim ipſa ſidera (pudet dicere) ignorant. Sic itur ad aſtra.

Poſt cœli & ſiderum poſitus, temporibus octogonicarum Solis & Lunæ configurationũ competentes, ſubiunximus Aſcendentis, Nouilunij, Plenilunij, intermediarumq; Quadraturarum, ad ſequentia Planetarum loca, Aſpectus, & Antiſcias, nec non ad præcipua quædam fixa ſidera, Directiones: vt diurnæ tempeſtatum alterationes, hinc præſciri poſſent. Directiones enim, quantum in Aſtrologia habeant ponderis, quamq; ſint totius artis nucleus, neminem in ea Mathematum parte verſatum, ignorare arbitror. Quemadmodũ verõ in Genethliacis prædictionibus, Directionum menſura ita fieri ſolet, vt quantus ſit motus Solis diurnus (qui ferè ſemper vnum gradum attingit) tantum ſpacium de Æquatore, vni anno tribuatur: ita nos, hic, non quidem per Solem, ſed ex Lunæ motu diurno, arcum Æquatoris vni diei competentẽ, mutuati ſumus: idq; non iuxta æqualem & ſimplicẽ Lunæ curſum, ſed verũ, & ſingulis diebus diuerſum ac inæqualem, vt etiã inæqualia, alijs atq; alijs diebus oriantur Æquatoris interualla. In Directionibus enim, ſiue tempora ex motu Solis, ſiue Lunæ, aut etiam reliquorum Planetarum metiamur, eorũ verus motus & inæqualis, non ſimplex ille, ab Artificibus tantũ, vt verus innoteſceret, excogitatus, obſeruandus eſt. His præmiſsis, ad ſingulos menſiũ dies, Solis ortum & occaſum, coörienteſq; & coöccidentes

 fixas,

fixas, siue matutino, siue vespertino, ortu & occasu, annotauimus. Nec Planetarum & quarundam præcipuarum fixarum ortus & occasus Heliacos prætermisimus: cum videlicet radios Solares ingressuri, quasi emori, vel ab his liberati, mundo denuō nasci, conspiciuntur. Arcus autem apparitionum & occultationum stellarum, ex Ptolomæo mutuati sumus. Quamuis non ignorem, hos, non satis certos esse, nec in omnibus eiusdem etiam magnitudinis stellis locum habere, propter variam earum ab Ecliptica remotionem, & insiti luminis diuersam capacitatem: noluimus tamen ā Veterum sententia hac in parte recedere, cūm ipsimet nihil certi per obseruationes hic compertum habeamus. Spero autem ortus & occasus heliacos stellarum, ā nobis assignatos, si non in ipsum diem, saltem, non diu ante vel post, incidere.

Lunæ quoq́ꝫ, ad singulos dies, ortus & occasus, præcipuasq́ꝫ fixas cum illa orientes & occidentes, non piguit annotare. Quæ res non caruit molesto laboris tædió. Luna enim, ob triplicem in ortu & occasu instabilitatem, ex motu videlicet proprio inæquali longitudinis, & inæquali quo ad latitudinem, diuersorumq́ꝫ eiusdem etiam quantitatis Zodiaci arcuum, diuersa ascensione & descensione, prognatam, tempora ortuum & occasuum reddit inæqualia, & inquisitione laboriosa. Nolui tamen hac in parte, ob laboris difficultatem, operam denegare. Consentaneum enim est, quōd veluti ortus & occasus stellarum cum Sole & reliquis Planetis, plurimum in varianda aëris temperie, habent potestatis: sic etiam earundem cum Luna ascensus & descensus, non carere euidenti effectu. Luna enim Elementari mundo proxima, plurimum præ cœteris Planetis,

netis, in hæc inferiora iuris habet, & reliquorum omnium, ad nos, tanquam internuncia, decreta adferre solet. Reliquarum insuper errantium stellarum, cum inerrantibus exortus occasusq́ꝫ, & nonnullibi, cœli etiam mediationes adscripsimus. Nam & hæ, multum habent iuris in alteranda aëris constitutione. Nec (vt in Sole fit) ad certas dies, singulis annis recurrunt, vt neq́ꝫ in Luna, ob eius cursus instabilitatem, fieri necessarium est.

Demum etiam, mutuas Planetarum, tam inter semetipsos, quãm ad præcipuas fixas, configurationes, suis diebus correspondentes, assignauimus. Nec eorundem mutuas Antiscias, quas habent duplices, prætermisimus. Nam Antisciarum non minor quãm Aspectuum, est efficatia. Hæ enim, cũm sint loca, æqualiter ã punctis Tropicis aut Æquinoctialibus, remota, eandem ab Æquatore obseruant declinationem, similesq́ꝫ arcus diurnos & nocturnos describunt. Eas autem Antiscias quæ respectu Æquinoctiorum distant, Ptolomęus, Imperantes & Obsequentes appellauit, quas nos tali charactere ⦶ insigniuimus: reliquas verõ, ã punctis Tropicis remotas, Intuentes dixit, easq́ꝫ hoc ⊖ signo notaui.

Hinc, Lunæ quoq́ꝫ, cum singulis quinq́ꝫ Planetis, Aspectus Oppositos, Quadratos, & Coniunctionem, vnaq́ꝫ Antiscias apposui. Et tandem ex prædictis omnibus simul collatis causis, auræ constitutionem, singulis diebus competentem, probabili coniectura erutam, adscripsimus.

Postremõ, post mensium & dierum descriptionem, adiunxi Eclipsis Lunæ calculum, quæ in fine huius anni contingit, ex Tabulis Prutenicis supputatũ,

occasu, n præci- prætermi- sturi, quasi sci, conspi- ultationum Quamuis n omnibus bere, prop- m, & insiti men à Vete- ipsimet nihil abeamus. Spe- um, à nobis non diu ante

s & occasus, cidentes, non lesto laboris & occasu in- equali longi- diuersorumq́ꝫ um, diuersa mpora ortu- sitione labo- is difficulta- m est, quod & reliquis ie, habent census & enim Ele- teris Pla- netis,

vt ſtudioſos huius Artis, ad diligentiorem, quàm ex Ephemeridibus, Eclipſium inquiſitionem inuitarem. Adſcripſi etiam tempora huius Eclipſis, tam iuxta Alphonſinam quàm Purbachianam rationem: & propriam quoq; ſententiam, de tempore huius deliquij, ex obſeruationibus noſtris in motu luminarium, ſubiunxi. Tandem etiam breue iudicium Aſtrologicum de effectibus ipſius Eclipſis, addidi, ex Ptolomæi doctrina deſumptum.

Retuli autem hæc omnia, ad Longitudinem & Latitudinem *DANIÆ* Patriæ noſtræ: quia, etſi omne ſolum forti patria eſt, vt piſcibus æquor: tamen nos plurimum debemus illi loco, & Reipublicæ, vbi nati & educati ſumus, & vnde alimur, niſi ingratitudinis vitium incurrere velimus. Præſuppoſui autem eleuationem Poli 56 præciſè Graduum, eò quod Hafnia, Metropolis Regni, Latitudinem obtineat 55 partium & 40 minutorum, iuxta noſtram obſeruationem. Longitudinem verò conſtitui eſſe, 35 Graduum. Tot enim ferè gradibus, noſter meridianus (meo iudicio) remouetur ab occaſu.

Volo autem candidum Lectorem admonitum, ne nimis exquiſitè, certis diebus, has Metheorologicas prædictiones intelligat: tùm quod multa deſiderentur in ipſis motibus & effectibus ſiderum inquirendis: tùm etiam, propter materiei inferioris fluxibilitatem, & incertas Tranſplantationum viciſsitudines: vnde ſiderum reſoluti fructus, nonnunquam tardius, aliquando verò celerius matureſcunt. Si verò, nonnunquam (vt facilè in tam perplexo negotio fieri poteſt) hallucinati fuerimus, nolo, vt quis Arti, ſed nobis, culpam imputet. Quàm enim ſit difficilis, quàm obſcura, quàm nondum

penitus

penitus inuenta, hæc, de auræ Mutationibus, Astrologiæ pars, experiuntur illi, qui totam ætatem in hoc studio absumserunt, nedum nos, qui hasce laborum similium Primitias, nunc primum edimus. Cũm insuper, inferiora & terrestria astra, quæ non minus quàm superiora, aëris alterationem inducunt (sunt enim tanquam matres ã superioribus impregnatæ) magnam, in alijs atq; alijs terreni orbis partibus, diuersitatem, obtineant: cœlum verõ vnicum & sibi simile: necessarium erit, vnum & eundem siderum positum, in diuersis terræ partibus, non vnum & idem operari. Cumq; tota terra, respectu ipsius cœli, non habeat sensibilem magnitudinem, difficile est inferiorum Astrorum cum superioribus consensum vbiq; terrarum cognitum habere. Atq; hinc non minima difficultas (ã paucis tamen animaduersa) in prædictione Metheorologica oritur. Quapropter, non tam hunc laborem suscepimus, vt singulis diebus, auræ mutationes, nos, certõ prædicere posse speraremus, quãm, vt annotatis, cœli & siderum ad singulas dies, constitutionibus, obseruaremus, quomodo superiora astra hoc in loco cum inferioribus consentirent: qualesq; effectus, hic vel ille siderum positus, in hac terræ parte produceret, disceremus: atq; per hanc experientiam, in posterum, aliquid certius prædicere de auræ statu possemus. Hortor autem omnes Metheorologiæ deditos, vt simili studio & labore, singulis annis, siderum positus, suis diebus correspondentes, quemadmodum nos fecimus, denotent. Hac enim ratione, obseruatione per aliquot annos facta, discent, quid hi vel illi positus siderum, in sua regione, efficient: & tali modo, præstantissimam hanc Astrologiæ partem, quæ auræ mutationes considerat, rectè excolere,

& ã vulgi calumniis asserere poterint.

Vobis autem, inclyti Heroës, Astrorum, quibus in patriam, sedesq; beatas os posuit sublime Deus, quocunq; sub axe degitis, & cœlo labentia cernitis astra: vobis inq;, hunc nostrum qualemcunq; laborem dedicauimus. Vobis enim solis, non imperito vulgo, alijsq; huius Sientiæ ignaris, hæc conscripsimus: nec lucri aut nominis gratia, vt plerique solent, sed vt vos ad diligentiorem huius Metheorologicæ artis cultum excitaremus, hunc laborem suscepimus. Vobis, inquam, viri ingentes, & supra mortalium conditionem nati, hanc nostram sacrauimus operam, de quibus non minus eleganter, quam verè hæc cecinit Poëta.

Fœlices animæ, quibus hæc cognoscere primùm,
Inq; domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter vitijsq; Iocisq;,
Altius humanis exeruisse caput.
Non Venus aut vinum sublimia pectora fregit,
Officiumue fori, militiæuè labor.
Nec leuis ambitio perfusaq; gloria fuco,
Magnarumue fames, sollicitauit opum.
Admouere oculis distantia sidera nostris,
Ætheraq; ingenio suppositere suo.

Confido autem, hunc nostrum laborem, vobis non futurum ingratum, & plurimum adiumenti in restituenda Metheorologia allaturum. Dabo autem operam, vt plura nostri laboris monumenta, aliquando habeatis, & præcipuè elaborabo, in restituendis motibus cœlestibus, & fabricandis Tabulis, quarum bene-

beneficio, motus ſiderum, apparentijs exquiſitē reſpondentes, indagari poſſint: quod nullæ hactenus editæ (ne illæ quidem quas viri illuſtres Copernicus & Reinholdus poſteritati in æternam ſui memoriam ſacrarunt.) ad amuſſin præſtant. In altera etiam parte Aſtronomiæ, quæ effectus ſiderum conſiderat, elaborabo: vt quantum in me eſt, à mendis & ſuperſtitionibus vindicata, ſuo vigori atq; experientię reſtituatur. Spero autem, me, Nutu Dei, hos & alios labores Mathematicos aliquando abſoluturum, & gratæ Poſteritati conſecraturum:

Si mihi tranquillæ concedant tempora vitæ,
Sidera, cultori non inimica ſuo.
Si non deſera benè poſteritate mereri
Obſtiterit cæptis (vt ſolet) Aula meis.
Si non barbaries arctoi frigida cœlj
Reddiderit clauſas ſidera ad alta vias.

Valete. Ex Muſæo noſtro Herrizuadenſi Anno 1572 Menſe Decembri.

Exemplar Diarij, quod hoc loco ſubijciendum erat, propter multiplex & operoſum ſchematum exprimendorum artificium, deſideratur.

DE

DE ECLIPSI LVNÆ
ANNI 1573. MENSE Decembrj.

ETSI QVOTIDIANVS MOTVS SOLIS, Lunæ, & cœterorum Planetarum, debitis instrumentis obseruatus, Astronomicæ artis infallibilem non obscurè probet certitudinem: tamen maximè euidens & illustre Artis encomium in prædictionibus Eclipsium Solariũ & Lunarium conspicitur. Hæ enim ab omnibus, etiam huius Scientiæ imperitis, cerni possunt: et ante plurimos annos prædictæ, non solùm tempus indicatum; sed etiam quantitatem obscurationis obseruant. Quamuis nonnunquam fiat, vt calculus Tabularum nonnihil differre ab apparentijs deliquiorum per instrumenta, diligenti facta obseruatione, animaduertatur: id tamen in tam difficili & ardua Scientia veniam meretur. Pauci enim sunt qui hæc studia tractant; pauciores qui rectè & debito modo excolunt; vt admirabilius videri possit, totam doctrinam de motibus siderum non prorsus interijsse; quàm quòd nonnulla apparentijs cœlestibus non exquisitè respondeant. Inter omnes autem canones cœlestium motuum, nulli exactius cœlo congruunt, q̃ Prutenici Erasmi Reinholdi, qui fundamento Copernici innituntur. Alphonsini enim plurimum in motu tam Luminarium q̃ cœterorum Planetarum, & fixarum etiam Stellarum, ab obseruationibus dissentiunt. Cùm itaq̃ hoc anno ingens obscuratio Lunæ, mense Decẽbri, in Plenilunio diei octaui contingat; non abs re duxi, si totum eius calculum, qualem Tabulæ Prutenicæ exhibent, hîc subiungam; adiectis etiam temporibus Alphonsinæ & Purbachianæ rationis; tum etiam propriæ, quam in motu Luminarium habemus, obseruationis.

CALCVLVS HVIVS DELIQVII LVNARIS EX TABVLIS COELESTIum Motuum Prutenicis Reinholdi.

Pro tempore mediæ Oppositionis eiusq; motibus medijs.

TEmpus propositum ad quod Lunæ Eclipsis indaganda erit; est anorum à Christo nato completorum 1572. *cum Mense insuper Nouembri. Respondent autem huic tempori ex tabella æqualium motuum* Tempus. *Dies* 36. *Hor:* 1. *Minu:* 56. *Sec:* 19. *Canonion autem reuolutionum proximè maius Plenilunio correspondens, exhibet Dies* 44. *Horas* 7. *Min:* 6. *Secund:* 5. *à quo, priori sublato, innotescit tempus verum mediæ oppositionis, quod est eiusmodi.*

DECEMBRIS	*Di.*	*Ho.*	*Min.*	*Sec.*
	8.	5	9	46.

Medij verò motus huic tempori correspondentes, sic se habent.

	Dode:	*Part:*	*M.*	*S.*
Simplex præcessionis	0	27	29	22.
Anomalia simplex	5	21	41	4.
Simplex longitud. ☉	7	29	24	16.
Anomalia ☉ *annua*	5	17	23	5.
Anomalia Lunæ	7	28	55	58.
Simplex latitudo ☾	9	2	19	36.

Media longitudo ☾ *&* ☉ *ad hoc tempus mediæ* ☍, *explet exquisitè semicirculum. Vnde dubium non est hoc tempus ritè numeratum esse.*

Pro tempore veræ Oppositionis & eius motibus medijs & veris inquirendis.

Tempus veræ Oppositionis innotescit ex collatis prostaphæresibus, orbis Solis absoluta & Lunæ primi Epicycli, quas beneficio iam inuentorum mediorum motuum hoc pacto inquiremus.

Pro

Pro προσαφερ. absolu. orbis Solis.

	Sex.	Par:	M.	S.
Anomalia simplex	2	51	41	4.
προσαφ. *centri add.*		1	13	18.
Scrupula proportionalia			0	21.
Anomalia ☉ *æquata*	2	48	36	23.
προσαφ. *orbis subtr.*		0	22	34.
Excessus sequens		0	6	57.
Pars proportionalis			0	2.
προσαφ. *orbis abs. sub.*	0	0	22	36.

Pro προσαφ. primi Epicycli Lunæ.

	Sex:	Par:	M.	S.
Anomalia ☾ *æqualis*	3	58	55	58.
προσαφ. 1. *epicycli add:*		4	.24	46.

Collatio προσαφ: Solis & Lunæ.

	Par:	M.	S.
προσαφ: *orbis* ☉ *absol: subt:*	0	22	36.
προσαφ: 1. *Epicycli* ☾ *adden:*	4	24	46.
Summa vtriusq; προσαφ.	4	47	22.

Præcedit igitur Sol Lunam in antecedentia signiferi, eò quòd ipsius προσαφ. *sit ablatiua; idq; tanto temporis interuallo, quanto Luna hunc arcum à Sole emetitur. Inuenio autem per Anomaliam* ☾ *quæ est 239 ferè partium, elongationem fieri in 9 Horis, Part: 4. Minut: 53. Secund: 23. & motum Lunæ insuper horarium à Sole reperio 31. Min: & 40. Sec. At prior elongatio numerum elongationis 9. Hor: non attingit in 6. Min: & Secund: 1. Vnde iuxta dictum Lunæ horarium motum 11. Minuta & 2. Secunda minus nouem horis debentur elongationi respondenti summæ* προσαφ. *Solis & Lunæ, vt sit vera elongatio in tempore Hor: 8. Minu: 48. Secund: 58. In tanto igitur temporis interuallo præcedit vera oppositio mediam: vnde veræ oppositionis tempus incidit in*

D:	H:	M:	Sec.
7	20	20	48.

Medij autem motus ad hoc tempus veræ & sic se habent.

	Sex:	Par:	M.	S.
Simplex præceß. æquinoct.	0	27	29	22.
Anomalia simplex	2	51	41	4.
Simplex longitu. Solis	3	59	2	33.
Anomalia ☉ annua	2	47	1	22.
Simplex ☾ à Sole	2	55	31	19.
Anomalia Lunæ	3	54	8	1.
Latitudo Lunæ simplex	4	27	28	31.

Ex his motibus medijs, lubet indagare veros motus Solis & Lunæ, tempori veræ oppositionis respondentes, hoc pacto:

Pro vero motu Solis.

	Sex:	Par:	M.	S.
προσαφ. *centri adden:*		1	13	18.
Scrupula proportionalia			0	21.
Anomalia Solis æquata	2	48	14	40.
προσαφ. *orbis subtra:*			23	17.
Exceßus sequens			7	10.
Pars proportionalis			0	2⅔.
προσαφ. *orbis ☉ absol. subt.*			23	19.

Distantia ☉ à prima ♈ stella:

Sex:	Par:	M.	S.
3	58	39	14.

Pro vero motu Lunæ.

	Sex:	Par:	M.	S
Duplata distantia ☾ à ☉	5	51	2	28.
προσαφ. *secundi Epicycli subt.*		2	26	30.
Scrupula proportionalia			0	28.
Anomalia ☾ æquata	3	51	41	31.
προσαφ. 1. *Epicycli adden.*		4	4	54.
Exceßus sequens		2	25	43.
Pars proportionalis			1	8.
προσαφ. 1. *Epicycli absol. add.*		4	6	2.

Di-

Distantia ☾ à simp. ☉	2	59	37	21.
Distantia ☾ à prima ♈	0	58	39	54.

Pro vero motu præcessionis.

	Sex:	*Par:*	*M.*	*S.*
Simplex præcess.	0	27	29	22.
Anomalia præcess. dupl.	5	43	22	7.
Prost. preces. add.	0	0	20	25.

Vera præcessio Æquinoctij verni.

Sex:	*Par:*	*M.*	*S.*
0	27	49	47.

Veri motus ☉ & ☾ ab Æquinoctio.

	Sex:	*Par:*	*M.*	*S.*
Locus ☉	4	26	29	1.
Locus ☾	1	26	29	41.

Præterijt itaq; Luna. Solis oppositum S. 40, quæ duplicata, auferenda sunt à tempore veræ & Luminarium prius inuento, vt euadat exquisitum tempus oppositionis.

Tempus exquisitum veræ Oppositionis Luminarium.

DECEMBRIS.

Die	*Hora*	*Minut.*	*Secund:*
7	20	19.	28.

Post mediam noctem in Meridiano Monteregij Prussiæ.

Loca autem Luminarium emendata ad hoc tempus, sunt talia:

	Gra.	*M.*	*S.*
Locus ☉ in Sag.	26	28	58.
Locus ☾ in Gem.	26	28	58.

Atq; hæc omnia iuxta tempus æquale & Astronomicum, quod à vero & apparenti nonnihil differt. Vt igitur tempus hoc reddatur apparens; confero motus compositos simplices Solis, & ascensiones rectas veri loci ☉, quæ huic tempori Plenilunij respondent, cum ijs qui epochi natiuitatis Christi congruebant, idq; hoc pacto.

Commutatio temporis in apparens & verum.

Motus ſimplices Solis compoſiti.	P.	M.	S.	*Aſcenſiones loci Solis Rectæ.*	P.	M.	S.
Tempus plenilun.	266	31	55.		266	9	59.
Tempo. Chriſti	278	2	16.		279	55	33.
Differentia	248	29	39.		246	14	26.

Collatio differentiarum.

	P.	M.	S.
Differentia æqualium mot.	248	29	38.
Differentia aſcenſionum	246	14	26.
Exceſsus differentiarum	2	15	12.

Huic exceſsui differentiarum, competunt M. 9. S. 1. vnius horæ, addenda tempori oppoſitionis æquali, vt euadat apparens.

Tempus apparens veri Plenilunij.

	D	H	M	Sec.	
DECEMBRIS	7	20	28	29.	*poſt mediam noctem:*

Siue à meridie, (vt moris eſt) numerando Horas.

D	H	M	Sec.
8	8	28	29.

Nunc ad temporis reductionem ad noſtrum Meridianum accedamus.

DE TEMPORIS REDVCTIONE AD noſtrum Meridianum.

TEmpus veræ Oppoſitionis apparens iam inuentum reſpondet Meridiano Tabularum Prutenicarum, quem Reinholdus præſuppoſuit 44. partium, & 15. minut. quod etſi ille ſilentio præterijt: tamen ex diſtantia Meridianorum, quam conſtituit inter Regiomontem & Cracouiam aut Alexandriam, quibus locis Copernicus & Ptolomeus vſi ſunt, non obſcurè patet illum, eam, quam dixi, longitudinem Regiomonti Boruſsiæ ad cuius loci Meridianum Tabulas ſupputauit, attribuiſse. Si itaq; hoc tempus reducendum erit ad noſtrum Meridianum, quem præſuppono 35. par-

partibus remoueri ab occasu & 9½. partibus Regiomonte Occidentaliorem; veniunt 37. minuta vnius horæ subtrahenda à tempore apparenti, quod suprà inuenimus Meridiano Regiomontano Prussiæ correspondere, vt euadat tempus veri Plenilunij apparens & reductum ad Meridianum distantem ab initio longitudinum, 35. (vt dixi) partibus.

Tempus exactum veræ oppositionis apparens in longitudine 35. part.

DECEMBRIS.

D.	*H.*	*M.*	*Sec.*
8	7	51	29.

Hactenus ea, quæ ad cuiusuis Plenilunij veri inquisitionem propriè pertinent, inquisiuimus: nunc ea, quæ ad Eclipticam Luminarium oppositionem solùm spectant, aggrediemur.

De Semidiametris ☾ & vmbræ.

Anomalia ☾ æquata	232 *partium ferè.*	
Semidiameter ☾	*M.* 17	*S.* 10.
Semidiameter vmbræ	47	25.
Anomalia ☉ æquata	168 *parti.*	
Variatio vmbræ subt.		*S.* 54.
Verus vmbræ semidi.	*M.* 46	*S.* 31.
Aggregat. semidi.	*M.* 63	*S.* 41.

Quod Plenilunium hoc sit Eclipticum, & de latitudine ☾ ad medium Eclipsis.

Simplex latitud. ☾ motus est.

Sex.	*Par.*	*M.*	*S.*
4	27	28	31.

		P.	*M*	*S.*
προσαφ. 1.	*Epicycli absoluta Ad.*	4	6	2.

Verus motus latitudinis ☾.

Sex.	*Par.*	*M.*	*S.*
4	31	34	33.

Vera

Vera Lunæ latitudo ad medium deliquij.
M. 8. *S.* 14. *borealis.*

Cum igitur latitudo ☾ tempori veræ oppositionis respondens, minor sit aggregato Semidiametrorum Lunæ & vmbræ; patet quod Luna, tempore huius Plenilunij incurrat in vmbram terræ; & propterea deliquium Luminis patietur. Quantum verò in dictam vmbram immergatur, manifestabitur collatis antecendentibus.

De digitis Eclipticis vel magnitudine deliquij ☾.

	Min.	*Se.*
Aggregatum semidiamet.	63	41.
Vera latitudo Lunæ	8	14.
Scrupula reliqua de summa vtriusq; semidiamet:	55	27.
Totus Lunæ diameter	34	20.

Digiti Ecliptici.

Dig.	*M.*
19	23.

De tempore incidentiæ & moræ dimidiæ.

	M.	*S.*	
Scrupula veræ latitudi. Lunæ	8	14.	*boreal.*
Aggregatum semidiamet.	63	41.	
Differentia semidiamet.	29	21.	
Scrupula incidentiæ & moræ dimidiæ simul.	63	7.	
Scrupula moræ dimidiæ	28	9.	
Sola scrupula incidentiæ	34	58.	
Motus Lunæ horarius verus	32	42.	

	H.	*M.*	*S.*
Tempus incidentiæ & moræ med. simul	1	55	48.
Tempus moræ dimidiæ	0	51	39.
Tempus incidentiæ	1	4	9.

Pro

1612.

Pro latitudine Lunæ ad Eclipsis initium & finem.

Mora dimidia suprà inuenta est.

H.	M.	S.
1	55	48.

Huic respondent iuxta verum motum Horarium Solis, qui tunc est

M. 4. S. 54.

Sed & scrupula incidentiæ & moræ dimidiæ fuerunt

M. 36. S. 7.

Est itaq; verus motus latitudinis Lunæ ad dimidiam durationem Eclipsis

P.	M.	S.
1	8	1.

Verus motus latitudinis ☾ ad initium Eclipsis.

Dod.	Par.	M.	S.
9	0	26	32.

Verus motus latitudinis ☾ ad finem Eclipsis.

9	2	42	34.

Vera latitudo ☾ ad initium Eclipsis.

M.	S.	
2	19	*Borealis.*

Vera latitudo Lunæ ad finem Eclipsis.

M.	S.	
14	10.	*Borealis*

Atq; hactenus ea quæ ad Calculum deliquij Lunaris inquirendum necessaria fuêre inuestigauimus: nunc præcipua quædam ex toto ferè calculo decerpta, quæ integram eius summam continebunt, breuiter annotabo.

ECLIPSIS LVNÆ ANNO à nato CHRISTO 1573. Decembris die octauo.

	H.	M.	S.
Initium primæ obſcurationis	5	55	41.
Initium totius obſcurationis	6	59	50.
Medium totius obſcurationis	7	51	29.
Finis totius obſcurationis	8	43	8.
Finis vltimæ obſcurationis	9	47	17.

In longitudine loci 35. grad.

	H.	M.	S.
Tempus incidentiæ	1	4	9.
Tempus moræ mediæ	0	51	39.
Dimidia duratio	1	55	48.
Tota duratio	3	51	36.

	Dig.	M.
Digiti Ecliptici.	19	23.

	M.	S.
Semidiameter ☾	17	10.
Semidiameter vmbræ	47	25.
Aggregatum ſemidiame.	63	41.

Latitudo Lunæ.

		M.	S.	
	Initium	2	19	Sept.
Ad Eclipſis	Medium	8	14	Sept.
	Finem	14	10	Sept.

Loca Luminarium.

	S.	M.
☉ in Sagit.	26	29.
☾ in Gemi.	26	29.

TY-

TYPVS DELIQVII LVNARIS.



DE HVIVS ECLIPSIS CALCVLO EX TABVLIS ALPHONSINIS & Purbachij.

EXhibuimus totius Calculi exactam rationem in hac Eclipsi, qualem Tabulæ Prutenicæ, viri de hac Astronomiæ parte optimè meriti Erasmi Reinholdi, exhibent. Sed quia nonnullis magis arridet vetus illa liberalitate Regis Alphonsi constructa Tabularum farrago, nonnullis etiam Purbachiani canones placent, subiungam etiam ex his vtrisq; Calculi summam in hac Eclipsi Lunari: tùm vt votis omnium satisfiat, tùm vt collatis calculis cum apparentijs in cœlo, quis eorum veritati proximè accedat, manifestum euadere possit.

ECLIPSIS ☾ EX TABVLIS REGIS ALPHONSI.

	H.	M.
Initium Eclipsis primum	7	10.
Initium totius obscurationis	8	16.
Medium Eclipsis totius	9	0.
Finis totius obscuratio.	9	44.
Finis Eclipsis vltimus	10	50.

Digiti Ecliptici. 17 30.

Tempus incidentiæ. H. 1 M. 6.

Tempus moræ dim. 0 44.

Latitudo ☾ ad Eclipsis: Initium $5\frac{1}{2}$, Medium 11, Finem 16 — M. Borealis

Semidiameter ☾ M. 17.

Semidia. vmbræ 44

Locus ☉ in G 27. M 7. Sagit. Locus ☾ G 27. M 7. Gemi.

EX TABVLIS PVRBACHIANIS.

	H.	M.
Initium Eclipsis primum	6	32.
Initium totius obscuratio.	7	39.
Medium Eclipsis totius	8	23.
Finis totius obscuratio.	9	7.
Finis Eclipsis vltimus	10	14.

Puncta Ecliptica. 17 23.

	G	M.
Locus Solis Sagit.	27	$5\frac{1}{2}$.
Locus Lunæ Gemi.	27	$5\frac{1}{2}$.

DE

DE HVIVS ECLIPSIS TEMPORE IVXTA PROPRIAM MOTVVM ☉ & ☾ obseruationem.

Recensui momenta huius deliquij Lunaris iuxta triplicem cœlestium motuum calculum, Prutenicum (qui Copernici hypothesibus fundatur) Alphonsinum, & Purbachianum. Sed quoniam tam ex aliorum quam proprijs obseruationibus compertum habeam, nullam ex his omnibus motuum secundi mobilis rationem, exquisitè apparentijs cœlestibus correspondere, subiungam meam quoq; de temporis momento, quo hanc Eclipsin futuram iudico, ex proprijs in motu Luminarium aliquot præcedentibus annis, petitam sententiam. Veluti singula quoq; momenta quarumlibet ☉ & ☾ configurationum in toto Diario assignatarum, ex hac propria motuum ratione emendauimus.

Tempora deliquij ex propria Motuum ratione.

DECEMBRIS die 8.

	H.	M.		
Initium Eclipsis primum	6	15	P.M.	In longitudine locorum quæ est 35. partiũ.
Initium totius obscuratio.	7	20		
Medium Eclipsis totius	8	10		
Finis totius obscuratio.	9	0		
Finis Eclipsis vltimus	10	5		

	G.	M.			G.	M.	
Locus ☉ in	26	40	Sagit.	Lunæ in	26	40	Gemi.

Cætera se habent ferè quemadmodum calculus Prutenicus præbuit. Nunc ostendam quomodo explorari possit, an hæc tempora iuxta nostram sententiam sint Apparentijs consona.

QVA RATIONE MOMENTVM DELIQVII OBSERVANDVM ERIT: ET quomodo innotescat, an nostra motuum ratio apparentijs congruat nec ne.

EXquisita momenta deliquiorum, ex Horologiorum sonitu vel clepsydris determinare, impossibile & à Mathematica certitudine alienum esse arbitror. Et licet multæ sint viæ, id alitèr & longè exactius certiusq; sciendi: tamen nulla est commodior & exquisitior quàm per obseruatam Stellæ alicuius, notum locum habentis, altitudinem supra Horizontem, quam habet tempore, quo Luna vmbram ingreditur & ab ea prorsus liberatur: præsertim ex ijs Stellis, quæ tunc temporis non longè ab Horizonte Orientali vel occiduo remouentur, magnamq; habent Altitudinem Meridianam. Per datam enim Stellæ hoc pacto altitudinem, beneficio scientiæ triangulorum, ex Sinuum Tabulis, verum temporis momentum indagari potest. Qua autem ratione hæc operatio procedat, nimis longum foret, nec huius loci est, pertractare: sed apud alios, rudiores passim inuenient. Vt tamen facilè & certò experiri liceat; an tempora huius deliquij, ex propria motuum ☉ & ☾ ratione assignata, veriora sint reliquis, & propius Harmoniæ motuum cœli accedant, annotabo quarundam præcipuarum fixarum Horizonti vicinarum altitudinem, quam meo iudicio obtinebunt iuxta initium & finem huius deliquij. Medium enim obseruari certò non potest. Has autem Stellarum ab Horizonte remotiones non scrupulosius quàm in ipsis gradibus & eorum semisse, perscrutari libuit. Maior enim subtilitas hoc in loco otiosa est: tum, quia hæ altitudines solummodo in Latitudine locorum 56. graduum locum habeant; & Stellæ Horizontj vicinæ vix in duobus Minutis temporis, semisse gradus eleuentur: tum etiam, ob Fixarum, exquisitè nondum cognita loca; & Instrumentorum quibus altitudines hæ communiter capiuntur vix præcisiorem quàm in ipsis gradibus, vel eorum medietate, certitudinem.

ALTI-

ALTITVDINES ALIQVOT FIXARVM AD MOMENTA ECLIPSIS iuxta propriam motuum rationem.

In initio primæ obscurationis Lunæ.	*Caput Gemi. meridia. eleuatur 13 Grad. ante Meridianum supra Horizontem Orientalem.* *Caput Gemi. Borealis eodem modo eleuatur 18 Gr.* *Aquila habet altitudinem pomeridianam, supra Horizontem occidentalem 18 Partium.* *Lyra supra eundem eleuatur partibus 33½.*
In initio totius obscurationis.	*Caput Gemi. merid. habet altitu. 21½ ante merid.* *Caput Gemi. Septe. habet alti. 26 part. ante meri.* *Canis minor habet altitud. 3½ ante merid.* *Sinister pes Orionis habet altitu. 10. ante merid.* *Vultur volans habet altitud. pomerid. 9 partium.*
In fine totius obscurationis.	*Canis minor eleuatur G 17 ante merid.* *Canis maior 4 part. cum ¾ ante merid.* *Cor Leonis eleuatur 3½ ante merid.*
In vltimo fine totius Eclipsis	*Cauda Leonis habet altitud. P 1½ ante merid.* *Cor Leonis habet altitud. 12½ ante merid.* *Lucida Hydræ habet 2 Grad. ante merid.*

Hinc, facta altitudinis obseruatione alicuius harum fixarum, tempore debito huius deliquij, periculum fieri potest, vtrum nostra motuum ratio, experientiæ consona sit nec ne. Atq; hactenus Astronomicam considerationem huius deliquij absoluimus: nunc Astrologicam aggrediemur.

CON-

CONSTITVTIO ORBIVM COELESTIVM AD TEMPVS MEDII deliquij Lunaris Anni 1573.

DECEMBRIS die 8. Hor. 8. Mi. 10. P M.



IVDI.

IVDICIVM ASTRO-
LOGICVM DE EFFECTIBVS
huius deliquij Lunaris.

QVEMADMODVM INTER OMNES cœlestium corporum congressus, nulli euidentius oculis incurrunt, quàm Solis & Lunæ Eclipticæ copulationes aut diametrationes: Tunc enim clarissima illa mundj Lumina, orbata luce, dirum mortalibus exhibent spectaculum: Ita etiam nullj alij stellarum congressus, vel configurationes euidentiores & certiores producunt effectus, quàm Luminarium defectiuæ commixtiones. Quapropter Ptolomeus, Artis huius Monarcha, deliquia inter maximè generales causas eorum, quæ in hoc inferiori orbe fiunt, numerare non dubitauit. Testantur etiam omnium temporum historiæ, eclipses præsertim Solares, aut euidentes & magnas Lunares, nunquam caruisse insigni aliquo euentuum effectu. Quapropter cùm hæc Lunæ eclipsis sit admodum tetra & magna (Luna enim tempore medij deliquij, tertia ferè parte sui corporis eclipticam attingit) non dubium est effectus etiam ingentes & euidentiores, quàm in vulgaribus Lunæ & exiguis obscurationibus, subsequuturos.

Subiungam itaq; breues coniecturas de effectibus huius deliquij, ex Ptolomej doctrina (cuius tanquam optimj Artificis vestigia sequi libuit, cùm ipsemet raram hac in parte hactenus habuerim experientiam) quam libro secundo Quadripartitj, tradidit. Dicam autem, ipsius imitatione, primò, de dominantibus stellis. Deinde Quid portendat eclipsis; Quibus populis & regionibus, & Quando effectus venient.

DE DOMINANTIBVS
STELLIS.

PLanetas gubernatores in hac eclipsi constituo ☿, & aliqua ex parte ♄. Habet enim Mercurius plurimas prærogatiuas in ecliptica cœli figura. Nam in loco deliquij Domicilium & Triplicitatem, ideoq; Carpentum obtinet: & exquisitè Luna deficiens, in ipsius Antiscia obedientj reperitur, proximeq; illius opposito applicat. Adde quod in angulo sequente

deliquium ipsum, Terminum possideat. Saturnum verò consortem in dominio fecimus, eò quod is, locum Mercurij disponat: vnde ille plurimum in Saturniam naturam, cum sit versatilis & Protheo mutabilior, degenerat. Habet etiam ♄ in gradu deliquij Terminum & Triplicitatem; & Luna ab ipsius opposito delapsa, ad ☿ (vt dixi) ☌ defluit.

Inter stellas autem fixas, principem locum in dominio obtinet Propus, quæ est stella in extremitate pedis sinistri Borealioris Gemini. Hæc enim stella, partiliter admodum ipsi loco eclipsis assistit; & eodem die, erga Solem, habet exortũ vespertinum. Etsi autem hæc Stella exigua sit: tamen ob insignes eius vires ab antiquis Astrologis præ cœteris notata, & peculiari nomine donata fuit. Ob vicinitatem enim eclipticæ hanc præ alijs efficaciam sortitam esse verisimile est. Habent etiam Stellæ fixæ, quæ cardinj antecedentj Medio videlicet cœlj assistunt, suas significationes; inter quas Caput Medusæ principem locum habet. At quia non propè accedit ad Meridianj limites, imbecillius est eius dominium. Illæ quoq; quæ angulum sequentem obtinent, Horoscopum videlicet, non excludendæ; quales sunt, Sirij lucida in ipsa linea Horizontis reperta, caput Hydræ, & cor Leonis. Atq; hæc de Stellis domminantibus.

QVID SIGNIFICET ECLIPSIS.

HÆc eclipsis Lunæ, in extremitate Geminorum domum vndecimam occupans, ob ☿ principale dominium cum participatione ♄, videtur inter homines plurimas fraudes, imposturas, callida consilia, technas, perfidias, & fucatas amicitias excitare: eorumq; qui astutam vapido seruant sub pectore vulpem, miras metamorphoses. Quantum verò ad peculiarem Mercurij significationem attinet, ex Ptolomej sententia, omnia impetuosa significat; latrocinia, furta, piraticas inuasiones: quædã etiam circa Sacrorum ritus, & regios reditus portendit. Imprimis verô ventorum turbulentiam, contrarietatem, & instabilitatem suscitat, sic citatemq; aëris efficit: nonnunquã, etiam fulmina & flammantia immittens tonitrua: frugum etiam, & eorum quæ vsibus humanis apta sunt penuriam portendit; vnde anonæ caritas, fames atq; alia similia incommoda sequuntur. Saturnus autem dispositor ☿, vnaq; in dominio consors; exilia, inopias, luctus, moerores (præsertim quia luna deficiens, domina est duodecimi loci) minatur. In aëre ingens frigus & gelu, nebulositates obscu-

obſcuritates, inamænitates, nubium denſitates, & niuium importunam copiam efficit: in mari verò naufragia, difficiles curſus, & ingentia pericula ominatur.

Inſuper, quia Mercurius principalis huius deliquij Almuten, Saturniam (vt dixi) induens naturam, & quadrato Martis ex æquinoctialj & tropico ſigno læſus; in ſexta domo, quæ morbis ab Aſtrologis deputatur, exiſtit: idcirco varia & periculoſa morborum genera minitatur; præſertim verò, ex ijs, quæ vitio pulmonis oriuntur, vt tuſſes difficiles anhelationes, Tabes, marcores, & ſimilia. Febrium inſuper diuerſa & varia genera, atq; his conformes ægritudines portendit.

Quæ autem ſuprà dixi de Regijs reditibus aut ſimilibus, ex Ptolomei ſententia à Mercurio ſignificarj; ea hanc ob cauſam maximè roborantur, quod ☿ vnâ ſit deliquij & ſecundæ domus (quæ lucro & his ſimilibus præeſt) diſpoſitor, & à Marte ☐ aſpectu lædatur.

Principaliter autem ex hac eclipſi contingente in ſigno aerio & ventoſo, prope ſtellas fixas in pedibus Geminorũ, de natura inprimis Mercurij, ventoſas & tempeſtuoſas, præſertim iuxta Propum (vt dixi) Stellam peculiarem ſuper ventos & turbines habentem ſignificationem. Et quia ☿ vnâ deliquij dominus exiſtit, ipſamq; deficientem Lunam partilj & exquiſita Antiſcia intuetur, vnâ cum oppoſito (cui Luna poſtmodum applicat) aſpectu; iudico, validas & crebras ventorum furias ſummo impetu Maria & terras turbantes, excitarj.

Vnà Eurus Notuſq; ruent, creberq; procellis,
Africus, & vaſtos voluent ad littora fluctus.

Mercurij enim Stella (vt Ptolomeus quoq; aſſerit) peculiarem habet ſupra ventorum impetus & tempeſtates ſignificationem: ſed inconſtantiam quandam & varietatem addit, niſi quatenus hoc loco à ♄, in cuius naturam (vt dixi ſupra) tranſit, ſtabilitur & firmior redditur: Impetus tamen auget ☐ Martis ad illum radius. Adde, quod in omnibus ferè angulis figuræ cœlj, tempore medij deliquij reperiantur impetuoſa & tempeſtuoſa ſydera: in Aſcendente, Canis Maioris lucidiſsima illa ſimulq; impetuoſiſsima: in occaſu, Aquila: in Imo autem cœlj cardine, Arcturi ſidus tempeſtuoſum; vt neſciam, an plus ad tempeſtatum & ventorum ſignificationem addi poſsit.

Hinc quanta incommoda terra mariq; ſequantur, quiuis facilè

intelligit: in marj præsertim calamitates crebræ & magnæ, ob naufragia & periculosas nauigationes, idq; potißimùm ob ☿ in Capricorno constitutionem, portenduntur.

Sæpe suos natos plangent ad littora matres,
Sæpe suos ignes deposcet ab æquore coniunx,
Æquoreusq; Pater tantas mirabitur vndas.

Hæc ferè sunt, quæ in genere, hæc eclipsis, significare, mihi, Ptolemei vestigijs inhærentj, videtur. In specie autem hac in parte, aliquid prædicere, admodum difficile est, & ab Astrologi cautj munere alienum. Id tamen conclusionis loco monere volo, hæc & alia, quæcunq; illa eclipsis producere poßit, peculiariter in humanum genus, non in alia animantia sæuitura: præsertim Regibus & Principibus, aliisq; in sublimi fastigio mundanæ insolentiæ positis, ominosa eße: idq; eam ob causam, quòd Luna in Geminis, signo humano & bicorporeo deficit; & vltra citraq; deliquij locum, humanæ constellationes reperiuntur, Erichthonij videlicet atq; Orionis. Sed de his satis: nunc ad reliqua accedamus.

QVIBVS REGIONIBVS ET POPVLIS, ECLIPSIS SVA DECRETA portendit.

REgiones & terræ tractus, inprimis cum signo ipsius deliquij, Geminis, videlicet, affinitatem habentes, ex parte etiam illæ quæ cum Capricorno signo à domino deliquij ocupato, peculiariter effectus huius deliquij experientur. Tribuit autem Ptolomeus signo Geminorũ, Hircaniam, Armeniam, Cyrenas, Marmariam, & inferiorem Ægiptum. Recentiores Astrologi addiderunt Sardiniam, Longobardiæ partem, Flandriam, Brabantiam, Virtenbergensem Ducatum. Inter vrbes insigniores verò Geminis attribuerunt, Cordubam, Viterbum, Cesenam, Turinum, Versellas, Regium, Louanium, Brugas, Londinum, Moguntiam, Kitzingum, Haßfordiam, Bambergam, & Noribergam. Sed de hoc negotio non puto satis certò adhuc constare ipsis Astrologis; propter incognita Regnorum & vrbium initia. Paucißimi etiam reperiuntur, qui ab experientia huius rei certitudinem diligenter inquirunt. Obseruatum tamen est Gemi. signum, supra Noribergam peculiarem habere significationem, quoties congreßus Planetarum superiorum, vel eclipses in eo contingunt.

gunt. Vnde etiam hæc Eclipsis sine dubio Noribergensibus aliqua minitatur ex suis decretis: forte etiam pestem, ob signi humani significationem quod deliquium obtinet: & propter Mercurium in sexta à Martis quadrato, cui applicat, læsum. Sed de his omnibus ambiguum quodammodo est iudicium, nisi quatenus crebra experientia stabilitur.

Regna insuper, & opida illustriora, quorum Reges, Duces, aut quouis modo gubernatores moderni, tempore suæ natiuitatis in cœlj culmine signum defectiuum habuere; hæc etiam, ex Ptolomæj sententia effectibus huius eclipsis obnoxia sunt.

Est quidam Phœbeius Hæros, Ductorem exercitus Olympicj, terno excipiens hospitio; vbi Calisto veteris memor proditionis, Oceanj vndas fugiente pede calcitrat, Montesq; Imauicj Solem æqualium dierum noctiumq; autorem, in ipso Meridie abscondunt: hic, cùm primùm vitales prodiret in auras, Superum & Inferùm legatum, Arcis portæq; cœlj custodem & Regem, in ipsa arce, regali Solio, prope hanc cœlj stationem, quam Diana nunc oculos pudibunda contaminat; considentem, cœterisq; imperantem, vidit. Ipsa etiam tunc temporis Cynthia, Oceano Pisces patrijs mergente sub vndis, & suimet ipsius nunc inceßum semioppositis & toruis aspiciente oculorum radijs. Quapropter, nonnulla, ex decretis huius deliquij, illj, & Populis, ac ciuitatibus eius imperio subditis portenduntur: quæ qualia erunt exitus probabit, si quid habent, vt habent, cœlestia sydera verj.

Illi autem homines, inprimis generalibus calamitatibus, quæ per hanc Eclipsin portenduntur, obnoxij erunt; qui tempore suæ natiuitatis loca Aphætica partiliter iuxta locum deliquij habuerunt: præsertim si in regionibus & vrbibus morantur, vbi deliquium suos effectus producit. Aliàs enim generalibus malis per hanc Eclipsin designatis, non subijciuntur, vel in leuius periculum incidunt. Non tamen habent deliquia supra vulgus & priuatos homines tantam significationē (vt ipsemet obseruaui) quantā supra Reges & Principes, aliosq; in sublimj Reipublicæ administratione positos: eò quòd Luminaria, inter reliquas Stellas, vicem Regum & principum obtineant, & quasi reliquis dominarj, iisq; iura præbere videantur: præsertim verò ☉, cui omnia sidera quasi astricta & subiecta videntur.

QVANDO INCIPIENT EFFECTVS ET QVAMDIV DVRA-bunt.

PTolomeus (quem nobis in diiudicandis huius Eclipsis effectibus potissimum imitandum duximus) per distantiam locj defectiuj ab Horizonte, initium operationum rimatur : per horas verò quibus Luna in vmbra moratur, tempus durationis effectuum pronunciat. Iuxta hanc igitur Ptolomej sententiam, effectus huius Eclipsis post tres menses cum dimidio, à tempore deliquij, idq; in Martio Annj sequentis 1574. inchoabuntur. Durabunt autem ferè quatuor integris sequentibus mensibus, in medium videlicet Iulij, eiusdem anni 74: eò quòd iuxta Prutenicam calculj rationem; tota duratio deliquij, quatuor fermè horas complectitur.

Licet autem, non ignorem plerisq; suspectam esse hanc rationem Ptolomaicam, de inquirendo tempore effectuum in Eclipsibus; eò quòd non satis firmis videatur fundari rationibus: tamen ab autoritate & sententia Ptolomej, hac quoq; in parte mihi non discedendum duxi; quamuis, & ipsemet prius dubitarim hanc rationem non satis firmam & sufficientibus nixam rationibus esse: sed postea, crebra experientia melius institutus, didicj, Ptolomej hac in parte sententiam, veritatj consentire: vt quod de Hippocrate affirmat Galenus, illum, nihil leue & sine profundo intellectu atq; arduo consilio scripsisse; id de Ptolomeo etiam Astronomorum Principe, & Regia stirpe Ægyptiaca prognato, verissimè dicj possit. Nec in Astrologia, vt in alijs scientijs, ætiologiæ quærendæ sunt: sed saltem experientiæ crebræ & rarò fallentj, inhærendum.

Vt autem, euidentius demonstretur, id quod dixi, Ptolomaicam hanc rationem in inquirendis initijs effectuum deliquiorũ, veritati atq; experientiæ consentire: enumerabo aliquot exempla, quæ maximè sunt illustria inter nostras hac in parte obseruationes. Quod etsi à nostro proposito videatur aliquo modo alienum: tamen non diffido me harum rerum amatoribus rem gratam facturum.

Anno 1558 die tertia Aprilis facta est Eclipsis Lunæ in 22 grad: Libræ: quæ suos effectus inchoabat Mense Septembrj, eiusdem annj, iuxta hanc Ptolomej rationem. Cumq; Carolus Quintus Imperator Romanorum

rum Augustissimus, in natalitia constitutione haberet Lunam Aphetã & vitæ significatricem, in Ascendentis ferè linea, in quadrato exquisito huius deliquij, in 22 videlicet parte Capricorni; idcirco die 21 Septembris idem Cæsar Carolus diem obijt: quo ipso die, in Meridiano vallis Toletanæ vbi tunc Cæsar morabatur, hæc Eclipsis ex Ptolomej decretis suos effectus producere cæpit: nec illo anno vllas funestas habuit directiones vllius locj Apheticj ad Anaretas vllos; vt dubium non sit istam Eclipsin eius interitum præsignificasse. Nec reuolutio admodum exitialis erat, si ea quid detrimentj vel bonj adferre possit, quod apud me magnum est dubium, eò quòd certum momentum, quo Sol ad locum Radicis reuertitur ita exquisitè prout hoc in loco opus est, scirj nequeat, adeò vt calculus sæpenumero in plurimis horis aberret. Sed de his alibj copiosius.

Anno 1558 die 18 Aprilis, extitit Eclipsis Solis in 7 parte Tauri, quæ effectus suos distulit vsq; in finem eiusdem annj & sequentis principium ex Ptolomej sententia. Cùm igitur Serenissimus Rex Daniæ CHRISTIANVS, piæ memoriæ, eius nominis tertius, in sua genethliaca cælj constitutione haberet Lunã Aphætam (eò quòd ipsa, in nocturna genesi supra terram in vndecimo loco esset) in 7 gradu 8, in eodem exquisito loco vbi Sol hanc Eclipsin patiebatur: idcirco mense Decembrj in grauissimum & funestum incidens morbum, ipsis Cal. Ianuarij annj sequentis dictus Princeps, re & nomine Christianus, vitam cum morte mutauit, ingentj cum totius Daniæ & adiacentium Regionum luctu. Nec ille eo anno Apheticorum locorum in genesi vllas meleuolas habuit directiones, quæ interitum significare poterant. Imò Luna, principalis Apheta sua directione ad corpus Iouis, vitæ & valetudinj amicissimi in propria Exaltatione locati circa id tempus applicuit; vt dubium non sit hunc optimum Principem ex hac Eclipsi eo tempore, quo ex Ptolomej ratione effectus produxit, Anaretica habuisse indicia.

Adde, quod Christiernus eius nominis secundus, olim, Daniæ, Sueciæ & Noruegiæ Rex, tunc autem temporis multis annis in custodia ob tyrannidem seruatus, paulò post, eodem Mense, diem suum obierit: idq; ex eiusdem Eclipsis decretis illj portendebatur. Is enim, in genethliaca figura 7 partem Scorpij (quæ crudelitatem morum effecit) in Ascendente habuit. Vnde Solis Eclipsis hæc exquisitè in opposito Ascendentis locj Apheticj illj contigit; nullis, eo tempore maleuolis Aphetarum incidentibus directionibus.

Anno

Anno 1565. die 7 Nouembris, Eclipsabatur Luna in 25 gradu Dodecatemorij 8, prope Pleiades, Stellas humiditatum & pluuiarum effectrices. Quapropter non obscurè indicabatur, hanc Eclipsin, plurimas in aëre humiditates & crebras pluuias, aliaq; humida metheora portendere: quemadmodum, nos, etiam Lipsiæ tunc temporis Studiorum gratia commoratj, prædiximus. Incœpit autem hæc Eclipsis, iuxta Ptolomej doctrinam suos effectus, primùm in initio Iulij annj sequentis. Quapropter eodem tempore, à die 4 Iulij annj 66. incœperunt continuæ fermè pluuiæ, aërisq; vdus & humidus status; & durauit talis constitutio per aliquot sequentes Menses: quemadmodum etiam ex Ptolomej mente tunc temporis vaticinatj fueramus.

Pari ratione, anno sequente, Eclipsis Lunæ contingebat in 15 gradu 8 die 28 Mensis Octobris, iuxta Orientis limites. Quapropter ex Ptolomej iudicio effectus suos statim inchoare debuit. Fuit itaq; tota hyems, quæ sequebatur, plurimis humiditatibus plena, & ventis ac raro frigore referta: velutj tunc temporis, Rostochij commoratus, hanc Eclipsin, inter alia, hæc significare prædixeram.

Recensui aliquot euidentia & certa exempla; quæ demonstrant Ptolomaicam rationem in inquirendis initijs effectuum deliquiorum experientiæ consonã esse. Quapropter, eam Studiosis harum rerum commendatam, nec temerè abijciendam volumus: donec meliorem & magis experientiæ consonam in eius locum restituant.

Atq; hæc ex Ptolomej decretis, de effectibus huius deliquij in medium adferre volui, quatenus nobis, nunc, in mentem incidere & temporis Occasio ferre potuit. Hortor autem omnes iucundissimæ illj & vtilissimæ Philosophiæ Prognosticæ addictos; vt sedulam nauent operam in obseruandis astrorum effectibus: & ab experientia non futilj aliorum autoritate sua iudicia petant. Hac enim ratione Nobilissimam hanc Artem à calumnijs imperitorum (qui cùm ipsimet hac in re nihil egregij præstare possint, maledicendo alijs sibj laudem quærunt) vindicabunt, Artiq; fidem, & sibj laudem comparabunt.

IN

IN VRANIAM

Elegia Autoris.

ESt locus ad Rynæ properantes fluminis vndas,
Aspicies, Musas hîc habitare putes;
Quo non fertilior, quo non iucundior extat,
Qua videt Arctoum SCANIA tota polum;
Scania diues opum, studijsq; exercita bellj,
Et decus & Dani gloria prima soli;
Hunc nemus vmbroso circumdans vndiq; flexu,
Claudit in aprico mollia prata sinu.
In medio spectanda domus, cui prisca Vetustas
Concessit nomen HERRIS habere VADI.
Hanc, olim, vafris turba insignita cucullis,
Incoluit, fingens Relligionis opus.
Dum Romanus, adhuc, populo, sua Sacra, Sacerdos
Venderet, & pretio Tartara clausa forent.
Ast vbi nunc seris, Dijs sic statuentibus, annis,
Dania Pontificum spreuit obire iugum:
Hæc quoq; lucriferæ pietati turba ministrans,
Protinus est illo cedere iussa loco.
Nunc tenet antiquo BILDORVM sanguine, cretus
STENO, Prosapiæ gloria magna suæ.
Steno suæ Patriæ decus, & tutator honesti,
Quo fera Barbaries, vindice pulsa, fugit
Testantur Venetos imitantia Vitra labores,
Quæ Cristallino clara colore nitent.

Testatur celebris, prius Ars inculta, Papyri,
Culta sub auspicijs reddita Steno tuis.
HAC ego Stenonj, quòd noster Auunculus esset,
Tempore dum longo, iunctus in æde moror;
Fortè per vmbriferæ digressus limina Syluæ,
Solus ad irriguas expatiabar aquas.
Sol erat Hesperias se tunc missurus in vndas,
Lunaq; nocturnos accelerauit equos.
En DEA (nescio quæ) cœlo delapsa sereno,
Protinus hîc oculos constitit ante meos.
Extimui, & rigido stabant horrore capillj;
Donec, quos dederat, sustulit ipsa, metus.
Pone metum, dixit, nec nostros effuge vultus,
O Iuuenis, studijs non abigende meis.
Sum Dea, (si nescis) quæ clarum nomen Olympo,
VRANIÆ, quod in hoc sit mea cura, fero.
Inter Apollineas, suauissima Numina, Musas,
Non me magnanimo charior vlla Iouj.
Qualis enim terræ decliuis, celsior æther,
Immensis superat, iugera parua, vijs:
Sic ego, sic nostras, tollo caput ante Sorores;
Ignoscat dictis, Calliopeia, meis.
Illæ etenim vanos hominum cantare labores,
Regna, Voluptates, Bellaq; dira, solent.
Et quæ præterea misero peraguntur in Orbe,
Cuncta per exiguos mox abolenda dies.
Ast ego res sperno Terræq; Hominumq; caducas,
Scandere in Æthereas stat mea cura Domos.

Et

Et ſublime Polo caput, vltra nubila tollens,
Cum Ioue, cœleſtj perfruor Ambroſia.
Illic perpetuos Mundi ſeptemplicis Orbes
Scrutor, & aſſiduis Sidera ſueta vijs:
Sidera diuinj teſtantia Numinis Artem,
Qua poſuit vaſto candida tecta Polo:
Sidera venturj iamdudum conſcia Fatj,
Conſcia ſæpè boni, conſcia ſæpè malj:
Sidera quæ vobis etiam ſua iura miniſtrant,
Multaq; per tacitas dantq; negantq; vias.
Non tamen hæc Animum cogunt ratione fruentem;
Nam facit arbitrio, quæ volet, ille, ſuo.
At quia perpaucj Rationis tramite currunt,
Cœlica perpaucis flectere Fata datum.
Hinc ego venturas mortalibus indico clades,
Præuiſum vt poſſint arte leuare malum.
Talibus oblector, ſunt hæc mea maxima cura,
Quæ nec in æternos ſunt peritura dies.
Iam puto non quæres quæ ſim, quæ munia geſtem,
Quamq; inter reliquas ſim decorata Deas.
Sum tamen his (fateor) re tantum vilior vna,
Culpa ſed hanc hominum, non mea culpa facit.
Quod pauci in terris ſint, qui mea caſtra ſequantur,
Caſtra quidem ſegni non adeunda pede.
Illis Turba frequens, lucro ſtimulante, dicata eſt,
Quod faciles habeant in ſua caſtra vias.
Res quoq; mortales, mortalia pectora curant,
Cæcaq; terreſtri puluere corda gerunt.

At

At memini antiquum generosi temporis æuum,
Quo meus in terris cultus, honorq; fuit.
Et memini tempus, quo celsa per atria Regum,
Inter honoratas ingrediebar opes.
Tunc etiam solos Reges vel Regibus ortos,
Fas mea (tantus honor) tangere Sacra, fuit.
Tu quoq; nec nostros olim auersatus honores,
Sæpè dabas aris thura adolenda meis.
Sæpè sub astrifera lustrantem sidera nocte
Vidimus; is fiet, dixit Apollo, tuus.
Dixit, & ingentem mox spem concepimus ambo,
Te fore perpetuò qui mihi thura daret.
Te fore, qui rigidis coleret mea Sacra sub Vrsis,
Redderet & patriæ sidera nota suæ.
Donec in arcanas Vulcanj laberis Artes,
Et peragis Sacro multa paranda foco.
Protinus incœpit noster vilescere cultus,
Tunc honor, Vraniæ, nullus, vt antè, fuit.
Id potui perferre tamen, namq; & sua terris
Sidera, sideribus non inimica meis.
Terra suos Soles, & habet quoq; terra Dianas,
Et reliquas Stellas continet illa suas.
Quicquid enim supra, totum quoq; clauditur infrà,
Vultus & ambobus Orbibus vnus inest.
Sidera sed terræ quædam tractanda videntur,
His licet igniferj vis patet arte Dei.
Nostra oculis cœlo fulgent spectanda sereno
Vires, non oculis, cernere Mente licet.

Ergo

Ergo nec inuideo Vestis sua Sacra puellis,
Sunt etenim sacris sacra propinqua meis.
Sed quòd ab his vacuus vitam nunc ducis inertem,
Nec mea, nec terræ, sidera pluris habes,
Displicet: id propter, Superos delapsa reliqui,
Vt tibi firmarem pectus amore mej.
Turpe est florentem frustrare per otia vitam,
Turpe est, incœptum deseruisse decus.
Ergò age, quid dubitas? nostros nunc incipe cultus,
Sat puto Vulcano temporis esse datum.
Incipe si quæris, quid sit tibi forsan agendum,
Materiam qua sis ingeniosus, habe.
En noua sublimi spectatur in æthere Stella,
Qua sedet ad boreum Cassiopea Polum.
Hanc non vlla prius longæui temporis ætas,
Stellarum solitis vidit adesse locis.
Huius in immenso positum metiaris Olympo,
Quamq; sit à vobis illa remota, vide.
Demonstrans alijs dirum non esse Cometam,
Sed numero stellas hanc sociasse suo.
Nam quia nil veteres mortalia pectora tangunt,
Hæc noua, quod veteres non monuere, monet.
Insuper Annus adest renouatis orbibus, ex quo
Est Deus è casta Virgine natus Homo.
Huic volo designes labentia tempora cœlo,
Aptabisq; suos ad vaga signa dies.
Astrorum positus Solis Lunæq; recursus,
Lapsaq; sub terras, ortaq; signa nota.

 Hinc

Hinc disces, vario quid gignat in aëre cœlum,
Nunc æstus rapidos, nunc boreale gelu.
Quando serena dies læto fulgebit amictu,
Nubibus aut pluuiæ præcipitentur aquæ.
Hæc tentata diu multos pia cura fefellit,
Qui penitus nostra destituuntur ope.
Tu sed ab auspicijs Superum melioribus orsus,
Fac tibi mandatum perficietur opus.
Quo prius exacto, longè ad maiora reducam,
Quæq; alijs nec adhuc sunt patefacta, scies.
Te modò non pigeat suaues subijsse labores
Vraniæ, & superas scandere aduſq; domos.
Hinc (nisi vana fides Diuæ cui Fata ministrant)
Nomen ab æterna Posteritate feres.
HÆC vbi Diua Poli, celsis quæ præsidet astris,
Dixerat, humanos sic imitata sonos.
Protinus ex oculis fugiens repetiuit Olympum,
Ingenio sensi numen adesse meo.
Cumq; nefas esset Superum contemnere iussa,
Accipe quod fieri Diua monebat opus.
Accipe tu generosa cohors quæ sacra ministras
Cœlicolæ, vulgo non adeunda, Deæ.
Hæc si grata tibi, quamuis sint vilia, fient,
Forsitan his longè mox meliora feres:
Mox meliora feres, quia nec me risus inertis,
Nec labor à studijs, terret Olympe tuis.
Et placet, & placeat alijs, iactare triumphos,
Celsaq; grandiloquo verba tonare sono.

Vel

Vel memorare ſuam longæua ab origine ſtirpem,
Atq; ſibi laudi facta putare Patrum.
Sintq; alijs cordi Regumq; Ducumq; fauores,
Sint cordi è terra quæ fodiuntur opes.
Quos leuis Ambitio, lucriq; inſana cupido
Vexat, & Officij grandis obire iugum.
Delectent multos furibundi pocula Bacche,
Pocula per madidos ſæpè iterata dies.
Multos blanda Venus lepidis amentet ocellis,
Quos leuis, inſanj torquet amoris, amor.
Alea ſit iucunda alijs, depictaq; charta,
Quos Horas & opes perdere ſorte lubet.
Nonnullis agitare feras, leporemq; fugacem
Prendere veloci, ſit ſua cura, cane.
Sint quibus egregium eſt agiles equitare caballos,
Et premere in gyrum terga ferocis equi.
Pluraq; delectent alios, ſi plura ſuperſunt,
More ſuo ingenuis quæ peragenda viris.
Scilicet his ſtudijs Virtus generoſa probatur,
Nobile Nobilitas fortè requirit opus.
Non equidem inuideo, miſeret magis iſta placere,
His quibus excellens debuit eſſe decus.
Eſt tamen his aliquando ſuus (concedimus) vſus,
Corpus enim, fuerint ſi moderata, iuuant.
Ipſe quoq; & quiuis, cum ſic fert tempus, & iſta
Poſſumus, exigua namq; opus arte puto.
Et licet ipſe etiam, genitus de Gente BRAHORVM,
Nomen ab inſigni Nobilitate traham:

Et

Et licet antiquus materni ſanguinis ordo
BILDORVM celebrem me quoq; ſtirpe ferat:
Nil tamen his moueor. Nam, quæ non fecimus Ipſi
Et Genus & Proauos, non ego noſtra voco.
At mea Mens auſis operum maioribus ardet,
In quibus excellens cernitur eſſe labor.
Rebus in excelſis decus eſt & gloria maior,
Parua leues animos cura mouere ſolet.
Me iuuat ingenio conſcendere tecta Tonantis,
Celſaq; ſtelliferi ſigna notare Polj.
Me iuuat in toto quæ ſplendent plurima cœlo,
Miranda artificis cernere facta Dej.
Hoc opus eſt Hominis, hæc eſt ea Dia voluptas,
Quæ ſimiles celſis nos facit eſſe Deis.
Quiſquis enim ſuperas animo volitare per arces,
Syderaq; ingenio gaudet adire ſuo.
Diſſimiles hominum curas, ſimileſq; Deorum,
Et ſua quo terris Mens releuetur, habet.
Promiſſumq; ſtudet prius hîc cognoſcere cœlum,
Nec nouus ignotas hoſpes adire domos.
Siue agat in terris, illum delectat Olympus,
Dum vitæ in fragili corpore geſtat onus:
Siue agat in cœlis, illum delectat Olympus,
Cùm datur æterna conditione fruj.
Felix in terris igitur, ſuper æthera felix,
Æthera quem terris præpoſuiſſe, iuuat.
At quiſquis pecudum ſimilis, cœleſtia temnit,
Viuit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ:

Tan-

Tantùm etenim terrena ſapit, mortalia tantùm,
Et, quæ cœca poteſt Talpa videre, videt.
Sed pauci, heu nimiùm pauci, quibus almus Apollo
Hoc dedit, vt videant id quòd Olympus habet.
Namq; opus eſt illos, ſpretis mortalibus actis,
Altius ad Superos exeruiſſe caput.
Hos non blanda Venus, ſtolidi non pocula Bacchi
Decipiunt, nec opes, nec fugitiuus honos:
Sed præclara magis, magis his illuſtria ſpectant,
In quibus & ſuperis eſt ſua cura Deis:
Vincere ſublimj, ſublimia ſidera, Mente,
Ætheraq; Ingenio ſuppoſuiſſe ſuo.

IN

IN MATHEMATICAM NOVÆ STELLÆ CONTEMPLATIonem, factam à Iuuene Nobilium Doctissimo, & Doctorum Nobilissimo, Thycone Brahe Otthonide.

Cœlorum illustre augmentum, NOVA STELLA, quid affert?
Fatorum Vates conscie quæso refer?

Legibus, Ingenijs, Sacris, Regnisq; Monarchis,
(Eloquar an sileam?) fax ea, flamma vorax.
Fax diros populis atq; vrbibus ista minatur
Ardores Martis Mulciberisq; Dej.
Nec simile ostentum, ostento huic, prior audijt ætas,
Nec similes motus, motibus hisce tulit.

Macti Animi Heroes, qui tam bene congrua nostro
Detegitis cœli Mystica fata, foro.
Sacra noua, Leges frange, oppida dirue, Bello
Exhauri populos, Fulmine tange domos.
Extingue Ingenia, expolia sua regna Monarchis,
Aut nouus, aut nullus postea Mundus erit.
Scilicet hæc toties monuit sacra pagina, magno
Explenda aduentu, maxime CHRISTE, tuo.
Mundi etenim facies rugas absersa seniles,
Est flammis decorj restituenda nouo.
Monstrauit ceu quondam, humilis cunabula Christj,
Aëre dux humilis, præuia Stella Magis.
Sic celsam excelsum, Stellam monstrare Triumphum
Christj aduenturi, credere multa iubent.
Quem iuuet has vitiis leprosas, sanguine fœdas,
Labe ruinosas porro habitare casas?
Luce noua, LVX NOSTRA, nouam super æthera Lucem
Spondet, adest cœlis Ignea Triplicitas.
Haud retro ad veteres vestigia vertite sordes,
Ne fatui incrustet vos mala forma Salis.
Exite, exite, Ægyptum, Babylona, Sodomam;
Promittit CANAAN, hæc noua Stella, nouam.

Andreas Velleius, Concionator in
Regia Hafniensi.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

HAbes candide Lector, Nobilis ac Eruditi Viri, Tychonis Brahe, De noua illa STELLA contemplationes: quas, etsi iamdudum conscriptas, sibi hactenus reseruarit: tamen, nunc tandem, ab eo impetratas, typis nostris, quamuis seriûs, edere & publicę vtilitati communicare non dubitauimus. Satius enim est, votis multorum expetita, in lucem, serò potius, quàm nunquam prodire. Ne autem nostræ fortè incuriæ moram hanc imputes: binas præfiximus Epistolas: vnam, qua Doctor Iohannes Pratensis, Medicinæ in Academia nostra Professor, editionem ab Autore, post crebras sollicitationes, tandem extorsit: alteram, qua Autor ipse priori respondit, & libelli editionem, concessit.

Vale, & fruere.

ERRATA.

A 3 facie 2 versu 3 lege, tanta. Ibidem versu 17 lege, qua.

B 1 facie 2 In ipsa figura, Quadrilateram formam, quam noua Stella, cum tribus Cassiopeiæ G B D notatis, efficit, plus æquo lateribus I D & G B oblongam Sculptor expressit; noua Stella Paulo infra literam H, Suprema vero cathedræ infra literam G meritò locanda.

B vlt facie 2 versu 19 lege, interiectos. Ibidem. versu 24 lege, longitudinem & latitudinem. D vlt facie 1 versu 1 lege, præ significare iudico. Ibidem facie 2 versu 7 lege, subsecuturas minatur. E 2 facie 2 versu 19 lege, inchoaturam. H 1 facie 2 versu 24 lege, ☾ a ☉.

Cætera leuia errata, æquus Lector facile corriget.

HAFNIÆ,
Impressit Laurentius Benedicti.
1573.
Cum Priuilegio.